

1 C. 89

in libris Mosnerei

in Mosneriae

in Mosneriae

Petit ch. à j. t. ouine
trouée de e di
Wcl. ,) - ls.)
o' ,) 11 ° a m
l. , l.
L' , b.) 1 N.)
at' ,) 3 u e - |


DE
ANIMORVM
NATVRA, MORBI S,
VITIIS, NOXIS, HORVM-
que curatione, ac medela,
ratione medica
ac philoso-
phica.
*


*Auctore Petro Pichoto Andegauo
Medico Burdigalensi.*



BVRDIGALAE,
Ex officina Simonis Millangi Burdigalensum
Typographi via Iacobea.

1574.





C E L E B E R R I M O,
P R V D E N T I S S I M O Q V E
B V R D I G A L E N S I S E N A -
tui. Petrus Pichotus me-
dicus. S. D.



M A S I M *Ægyptiorum*
regem, Senatores & quis-
simi, edicto memorabili
sanxisse commemorat, vt
singulis annis unusquis-
que apud prouinciae suæ
presidem profiteretur, qua arte ipse vitam
degeret: quoque instituto liberos, uniuersi-
domum ac familiam foueret tueretur-
que. cuius laudabilis edicti ratio mihi stimu-
los addidit: vt has lucubrations inter bel-
licos tumultus elaboratas, in ora hominum

A 2

mitterem. Et hoc commentariolo fide bona testatum vobis facerem, mihi ex quo Burdigalam medicinæ faciendæ caussa accessi, nihil fuisse antiquius, nihil prius, quam ut summa fide ac diligentia vestrorum ciuium valetudinem tueri, Et a morbis vindicare possem. Videbam enim in hoc medendi officio non agi de lana caprina: immo nec definibus regundis, aut aquæ fluctibus: sed de valetudine, ac vita hominum, quæ uniuicique mente sano, fortunis omnibus charior esse debet. Hoc igitur morborum profigandorum munus, nostrum est vitæ curriculum. hoc saxum voluimus. hæc nostra viuendi ratio tumultuaria sanè, difficultatibus impedita ac laboriosa. A cuius actuosæ vitæ procellis ac fluctibus, quum otium aliquod & quies suppeditatur, ad Musarum & Apollinis sacra diuertimur: et in nostro secessu cū Galeno alijsque philosophiæ medicinæque mystis colloquimur, aliquid commentamur ac reponimus. Ex qua sane meditatione emersit hæc lucubratio, otij no-

stri literarij monumentum. Quod in communem omnium studiosorum utilitatem edidimus. Vobis vero, senatores equissimi, et si grauioribus studijs occupatissimis dedo & nuncupo. ut pote quibus data sint cœlitus huius vrbis ac totius Aquitanie regendæ gubernacula, quæ vos sane tanta prudentia & aequitate moderamini, ut sint ciuibus gratissima, negotiatoribus verò et) exteris, omnibus denique omnium etatum et) ordinum hominibus maxime expetita & plausibilia. Hinc vestrae ille in reos haud quaquam Rhadamathinae & inexorabiles sed mitiores animaduersiones, in miseros optatæ condonationes. hinc illa ex iure & a quo Senatus consulta velut ex Apollinis oraculo pronuntiata. Nec quisquam hoc mirabitur, si intellexerit, ex hoc vestro senatorio ordine, plerisque Xenophôtea aut Liuiana styli suauitate rerum gestarum historias quaslibet memoriter recensere: alijs verò tantam in dicendo facundiam, ac oris leporrem inesse, ut Ciceronē Demosthenemque

facile æmulentur, in carminibus autem scribendis alios tam acris ingenio tantaque fælicitate uti: ut nascendo videantur Musas habuisse nutrices, quæ ipsis Pegaseum melos cum laete instillarint. illud tame omnibus commune: ut philosophiae, ac omnium bonarum disciplinarum sint studiosi: omnes iuris dicendi, ac reddendi, consultissimi: in causis cognoscendis, ac litibus dirimendis perspicacissimi ac vigilantissimi: non sordidi questus, sed iustitiae studio æqui bonique censores. Hoc itaque quicquid est operæ & laboris, Senatores humanissimi, nomini vestro inscribo & consecro: ut vestris auspicij & fauore a maleuolorum cauillis tutius in publicum veniat. Nam video iam fore Archilochos quosdā, aut, ut verius loquar, Zoilos & obloquutores nasutulos, qui temerarium esse clamitabunt has nugas inutiles, & insulsas, hoc eruditissimo seculo palam euentialare: præsertim post Galenum, certosque tum medicos tum philosophos, qui de affectuum & morborum animi curatione

Et agnitione scripsierunt. Quorum super
 cilioſis censuris ut occuram⁹, dicemus hoc
 argumentū non tam accuratè a maiorib.
 fuisse tractatum, ut non etiā posteritati
 & futuris ætatibus, locum aliquem cō-
 mentādi ac scribendi reliquerint. Non ta-
 men diffitebor me in hoc Commentariolo
 plurima a Galeno, Aristotele, Cicerone
 philosophisque ἡδοναῖς accepisse, & ex
 his miscellaneam hanc rhapsodiam conte-
 xuisse. In qua præter vigilias nihil ferè
 meæ iuuētionis, nihil ingenij mihi iure tri-
 buere possim. Tamē si hæc Collectanea per
 legere quis nō grauabitur, animaduertet
 me triplicis animæ morbos, vitia & no-
 xas, curationemque nec oſcitanter nec à-
 ratiōis breui methodo tradidisse. Suscipi-
 te igitur, amplissimi patres, hoc qualecū-
 que munusculum, pro vestrō animi can-
 dore: quo uti soletis erga omnes, qui ali-
 quid ornamenti, vel utilitatis reipubli-
 cæ vestræ adferre student.



DE ANIMI NATVRA,
MORBIS, VITIIS, NOXIS, HORVM-
que curatione, ac medela, ratio-
ne medica & philo-
sophica.

*.



*Differunt
non solum
gradu per-
fectionis,
sed substan-
tia & na-
tura.*

NIMARVM tria sunt genera
vel differentię.

Anima naturalis, quę & ve-
getatrix. hęc sola regit plan-
tas & stirpes, sine sensu, sine
cognitione vtilium, solo appetitu naturali.

Anima sentiens *αἰδητική*. hęc in brutis
imperium exercet & eius impetu feruntur.
a qua illis vita, sensus, motus, & appetitus a-
nimalis, rudior etiam memoria & ingeniū.

Anima rationalis, princeps & regina ani-
marum. hęc alijs duabus accedens hominē
cum corpore constituit & informat: quæ
etsi priores animas vt facultates aut partes
continet: simplex tamen & omnis com-
Aristotel. positionis expers est, vt Geometricæ figu-

ræ posteriores coalescunt ex prioribus, si-
ne compositione.

ΨΥΧΗ græcorū, latini Animā vertunt, *A refri-
gatione & ventile cor-
pus, vel per
antiphra-
sim.*
vt Virgilius: modo Animum, vt Cicero, Si
in hoc erro, quod animos immortales cre-
dam, libenter erro, & passim in questionib.
Tusc. & alibi sæpe.

Anima & animus indifferenter de ani-
ma rationali, & irrationali dicuntur.

Animus dictio est homonyma & æqui- *Aπὸ τῆς
uoca. nam præter significationem ψυχῆς, ἀνέμου
accipitur etiam ἀντὶ τῆς θυμοῦ, id.*

pro animositate, (animos vocant)
pro animi confidentia, ira, spiritu, an-
helitu, voluntate, ingenio.

M E N S ὁ νοῦς, usurpatur sæpius pro ani-
ma rationali, quæ extrinsecus in fœtum ac- *Forma ho-
minis.*
cedit Platonī, Peripateticis, Theologis, &
Aristoteli. 2. de generat. animalium. cap. 3

Mens aliquando capitur pro facultate
præstantiori, animi vt & άνανσα, quemad-
modum in illo Plauti, nullam mentem ani-
mi habeo. Et sæpe apud Lactantium, lib. 7.
dormientium mens, non anima, sopitur. Et
apud Ter. Mala mens, malus animus, & A-
ristot. in metaphys. τῆς ψυχῆς τὸν γένον dixit.

E N T E A E X E I A Aristotelis, est perfe- *A perfe-
ctione.*
ctio prima corporis habentis vitam pote-

state, actus primus, ἐνέργεια.

*ab aliis
dii. at.:* Εὐθελέχεια Ciceroni dicitur perennis & assidua motio nutritionis, sensus, motus, intelligentiae etiam secundū Epicurū & αὐθέγες.

Oritur a corpore. nec ab eo separatur, Aristoteli, Ciceroni contra: plantis etiam sua est, εὐθελέχεια Budæo: quæ est illis prima motio & perfectio nutritionis & vegetatiōis.

Εὐτελέχεια non est genus ad omnes animas. vt ψυχή. Sed tantum ad formas naturales, quæ p̄dent a corpore & simul cum eo pereunt, ex sententia Aristotel. cui νοὺς οὐκ ἔστι εὐθελέχεια.

Nulla philosophia pars recte tractari potest ignorante animae essentia: etiam si Galenus contra sentiat. Porro cuius naturæ, καὶ οὐσίας, sit animus & mens humana, et si verè & intelligenter tradit Christus, qui est via, veritas, & vita: cum tamen omnibus non satisfaciant sacrarum literarum oracula, nisi etiam philosophorum testimonia accesserint, consentaneum esse duxi, in hac cōtrouersia de animi & mentis natura, grauissimorum virorum gentilium autoritatem adferre. sed quorum quæso? An Aristotelis acutissimi philosophi? An Galeni medicorum præstantissimi? Aristoteles, quanquam non satis explicat, cuius sortis sit mens & animus, antequam corpori coniungatur, nec cuius conditionis & status sit a morte hominis.

tamen mentem esse substantiam incorpo
ream & immortalem ubique fatetur. ait e-
nim 1.de anima, νοῦν εἶναι οὐσίαν, καὶ φθείρε-
ται. & alio loco περὶ δὲ τῷ νοῦ, ἐστιν γένος ἔτε-
ρον εἶναι ψυχῆς. καὶ τὸ μόνον χωρίζεται, καθά-
περ τὸ ἀείδιον τῷ φθαρτῷ, & 2.de anima τὸ
μὲν καὶ μᾶλιστικόν, οὐκ ἀνδ σώματος ὅδε νοῦς
χωριστός. Aristoteles igitur in asserēda men-
tis natura numquam anceps & dubius, sed
ubique ἀφθαρτὸν & immortalem comme-
morat. Huic igitur & Platonis, & Platonicis
omnibus in hac disceptatione magis cre-
dendum: quam Plinio philosophiæ rudi &
prorsus ignaro, & magis Theophrasto Pe-
ripateticorum eloquentissimo, Socrati, Py-
thagoræ, Themistio, quam Luciano λοιδο-
ρεῖ, cauillatori maledico. Galeno verò quis
libenter credat, quum adeó oscitabundè &
inconstanter de animi natura differuerit.
Nam 5.symptomatum causis, ait, animum
esse sanguinem & spiritum vel calorem na-
tium, vel vti illis tanquam instrumentis.
rursus in libello de substantia facultatum
naturalium scribit animum esse tempera-
mentum, vel præcipuum eius organum.
mox eodem libello fatetur se ignorare ani-
morum τὴν οὐσίαν. Et in libello quod animi
mores corporis temperiem sequuntur, ait,

substantiam animi esse temperamentum ex mistione quatuor qualitatum, vel facultatem naturæ ex tempore, vel seruentem temperamento. vides quām varius & velut Proteus sit in definienda animi natura. Quid dicetis Galene, Andronice, Luciane, atque vos Epicurei, & Æthœri; Si animus est temperies, aut qualitas, aut facultas, aut sanguis, spiritus, aut calor nativus: cur in hydrope ascite, aut tabe, hecūca, marasmode febre, aut largo sanguinis profluvio, & corporis totius colliquatione: in quibus temperies corporis prorsus mutatur, spiritus exhauriuntur, moles carnea absumitur, decor & habitus corporis omnino pereunt: cur, inquā, in his morbis, & similibus deploratis, populantibus sanguinem, spiritus, calorem nativum, manet tamen eadem mens intellectus, & iudicium? Annō quotidie videmus plerosq; phthoe, aut marasmo afflicatos, & velut osseos σκελετὸς moribundos, κύκνεον ἀσμα ἀδειν, & supremo vitæ tempore dissertè loqui, cum firma mentis integritate, & ad extremum vitæ spiritum sibi constare animo, testamētum condere, hæredem instituere, & fortunas omnes suis liberis fano iudicio distribuere? Non est igitur animus νεῖστις, aut fa-

cultas ex temperamento nata, nec sanguis purpureus, aut ἔμφυτόν θερμον: sed res quædam stabilis & permanens, substantiaque. quæ causa est & principium omnium functionum naturaliū, vitalium, & animaliū. *

Cæterum quum nunc decreuerim de animi morbis differere, non est presentis instituti quæstiones illas de animo curiosas extricare ut pote nimis implexas & studio-forum ingenia magis torquentes, quam fixum & certum quid relinquentes.

Quas nobis inuexerunt, Pythagoreorū secta, Platonis academia, lyceum Aristotelis, Porticus atticę, Academicorum ἀνατελλήψια, Porphyrij & Plotini sectatores, Alcoran, & Mahumetani philosophi, Auicennæ almahad, Epicureorū & Ἀθέων vesania.

Porrò philosophi cuiuscunque sectæ, in vestiganda animi natura, acri studio & amore flagrarunt: verum inuentis fallacibus, ac mendacijs omnia corruperunt: sic vt plerumque magis noceat, quam proxit horum argutius ac subtilius genus docendi. ex qua commentandi ratione emanarunt, quæstiones insolubiles, ænigmaticæ, σούστιναι, & χείροι inexplicabiles, cuiusmodi sunt.

Si animus est immortalis & incorporeus: quomodo & quo vinculo coniungi-

*Et sanè mē
tis immor-
talitas ostē-
ditur, ex cel-
sa, erectag-
oris huma-
ni figura.*

*Ex cerebri
humaniam
plitudine.
Ex fabrica
corporis hu-
mani diuer-
sa a reli-
quis anima-
libus.*

*Mens sola
nouit quid
agat, & pro-
pter quid,
& quomo-
do.*

*Mens seip-
sam intue-
tur, in se re-
flectitur, se
agnoscit, se
corpore in-
cludi intel-
ligit.*

*Intelligētia
astrologie
& mathe-
matum,
cognitio hi-
storiarū ab
origine mū-
di, futuro-
rum presen-
tio, ratio, dis-
cursus, intel-
lectus, ser-
mo, eloquen-
tia, satis o-
stendūt mē-
tem nō ma-
nare ab ele-
mentorum
mischla &
colluvie.*

tur corpori caduco & corruptibili.

Si anima est celestis & indiuidua, quomodo elementari hoc corpusculo continetur & concluditur, & quomodo est tota in qualibet parte corporis: cum ipsa non sit totum, nec habeat partes? an vt Deus, qui loco claudi non potest, tamen per vniuersam rerum naturam commeat: & rebus omnibus non solum proximus, sed etiam infusus est.

*A*n animæ sint ἀφθάρτοι, particulæque auræ diuinæ abscissæ, & manantes a mente vniuersali, vt Pythagoras, Trismegistus, & Lactantius existimant. Epictetus etiam Υπὸ μόριον τὴν ἀπόσπασμα τῆς θεοῦ facit.

Error philosophorum & medicorum de anima substantia.

An a substantia cœlestium ignium & stellarum decerptæ, vt putat Plato & Platonici?

An a quinta quadam substantia vt cœlum & astræ. vt Cicero in tusc.

An animæ sint aereæ, tenuioris, & lucidæ cuiusdam substantiæ & æthereæ, vt vult Heraclitus, & Anaximenes?

an Sanguis?

an Spiritus?

an Temperies vt Galenus suspicatur?

an Qualitas ex temperamento, vt Andronicus?

an ἔμφυτον θερμὸν, vt Hippoc.

An potius animæ humanæ sunt substantiæ spiritales, non abscissæ, aut decerpitæ a substantia Dei, nec ex traduce propagatæ: sed creatæ, vt angeli, & alij spiritus, vt fides nostra tenet.

AN animæ sint omnes natura, conditio ne, & dignitate æquales?

An potius differant dignitate, & præstātia, etiam ab ortu & creatione, vt angeli, spiritus, & stellæ?

AN animæ scientia, virtutibusque instru ctissimæ, demittantur in corpus sordidum, cuius contagione & caligine, obliuiscantur rerum omnium, vt existimat Plato?

An potius, tanquam tabule simplices & rerum omnium nudæ, creentur, habiles tam ad quaslibet formas excipiendas, vt fides nostra tenet. & vt celum omnes formas continet, vt lux omnes colores illustrat: ita animus omnium rerum intelligibilium notiones potest consequi.

AN animæ sint plures in homine differentes substātia, natura & sedibus, vide Gal. libris de placitis Hipp. & Platonis.

An potius vnica est in homine, quæ reliquas animæ differentias non vt substantias, sed tanquam facultates, ministrantes conti-

*Augu. &
Hieronym.*

*Cæli &
nimi comp-
paratio.*

16

net, vt vult Aristot. & theologi?

A n corpus est animæ domicilium & hospitium?

*Animi, &
corporis so-
cietas, qua-
lis.*

An carcer, & ergastulum, vas fictile,
vt diuo Paulo, & Socrati?

an vt cochlea testam, ita anima cor-
pus circumfert?

an vt nauta in nau, sic anima in cor-
pore residet?

an vt Deus toti mundo præest, ita ani-
ma corpori præsidet?

an inhæret, aut alligatur corpori?

an expanditur, & diffunditur per cor-
pus, vt lumen per aerem?

An potius informat, animat, perficit-
que corpus, & εἰς ἀρμονίαν, καὶ ἐνέργειαν
συνάγει, estque altera pars & forma com-
positi, effectrix omnium functionum
naturalium, vitalium, animalium?

*Epiſtetus,
Trismegi-
stus.*

A n animæ post obitum, corpore solu-
tæ, redeunt ad communem mundi animā,
& mentem vniuersi: velut solis radij varij
cum sint ab uno sole, & in uno sole lucent,
& in unum solem reuertuntur: at hac ratio-
ne omnes animæ ad communem mentem
reuertentes, futuræ sunt fœlices?

Platonici.

an ad suum astrum, unde sunt sumptæ
& decerptæ, redeunt, vt ibi æternum sint

beatæ?

An finitis reuolutionibus purgationis, post mille annos, ad corpus suum revertuntur: vnde Virgil.

Rursus & incipient in corpora velle reverti,
& Atq[ue] iterum ad Troian, magnus mit-

tetur Achilles.

Hinc orbis & rota mille annorum, a-
pud Virg. ex Plat. hinc χλιας α) hæretici.

An animæ omnes, emigrent statim ab obitu in aliud corpus modo hominis, modo bruti, modo plantæ, atque ita varias subeant μετεμψυχώσεις?

An tantum malæ mentes & vitiosæ patientur μετεμψύχωσιν, ut volunt Iamblicus, Porphyrius, & Mahumetani philosophi, &

An ingrediuntur corpora alia atque alia: ut defatigentur, purgenturque: & tandem puriores vel ad mentem vniuersam vel ad suum astrum reuertunt?

Imò potius, ridendus Pythagoras, Plato, Platonici cum sua μετεμψυχώσει: & fabulosa sunt, quæ Plato de lege Adrastiae in Phædro, & quæ Virgilius de rota mille annorum, scripsierunt.

MAGISQUE ridendi sunt philosopho-

*Plato in
phædro,
Chilia, et
Origenes*

*περὶ
ἀρχῶν,
Chrysippus,
Stoicus.*

*Pythagoras
ante Platō-
nem com-
mentus est
μετεμ-
ψύχω-*

*σον ἐ^τ
παλι.
γενεσί-
αν*

*trans-
animatio-
nem.
Mahume-
tani philoso-
phi & Iam-
blicus, &
Porphy-
rius.*

rū ignobilissimi Epicurei & Ǣtheoi, animos cum corpore extingui putātes, qui religio- nem omnem subuertunt, aut vertunt in hy- pocrisin, simulationem, & ceremoniarum figmenta: Qui putant populo persuaden- dum, Deum esse, vt a facinoribus solum de- terreantur homines, & inter eos societas seruetur: Quibus vita hominum, & ciuita- tes, nihil aliud sunt, quam speluncæ, & re- ceptacula latronum personatorum: Qui- bus nullus omnino rerum est finis proposi- tus. Si enim homines nascuntur, vt paulo post moriantur corpore & animo: Quis tā- dem vsus rerum, cum virtus sit damnosa, & fraudi his, qui piè viuant? Quibus inferi, veri- tas, virtus, dij, dæmones sunt fabulæ, & vani- terores, & stultitia. At si animus mortalis, elephantes, cerui, cornices, aquilæ, phœ- nix, vel ipsis regib. fœliciores: quia diutius viuunt cum voluptate, nec mortem ante tempus timent, & rarius ægrotant. Et qui piè, innoxie, & sanctè viuūt, miserrimi: inò non tutum viuere inter homines: nec so- cietas aut amicitia iniri potest, sublata ani- mi immortalitate. o miserandam, virtutis, & bonorum conditionem!

*Philosophi
et omnis gen-
tilitas nega*

An liberæ a corpore animæ feruntur in cœlum: vt illic perpetuò fœlices viuant si-

ne corporibus, cum intelligentijs & beatis animis, vt Cicero putat, cum ait, O præclarum illum diem, cum ad illud animorum concilium & cœtum proficiscar. in lib. de Senectute.

An a corporum resurrectione, iterum homines redituri in mundum, vt mille annis auream degant ætatem, vt Cherinthus, Hieronym. in Esaiam ridet Lactantius, Origenes & χλιασαὶ hæretici opinantur.

An post corporum resurrectionē, diemque & iudiciū Domini, postque longa sæcula, & annum vertentem, gehennę & cruciatus inferorum sit futura leuatio: vt vult Origenes in libro περὶ ἀρχῶν, qui liberat tandem supplicijs damnatos & dæmonas.

Imò potius de statu animorum & corporum post diem iudicij, credendum est μέτερον Christo, dicenti futuram mortuorum resurrectionem, & corpora cū animis ferēda in σὺν loca electorum vel reproborum, vbi æternū erunt, vel beata, vel misera. Pij fruentur corpore & animo gaudijs, solatijs cœlestibus, securis, & perpetuis. Ibi in regno Christi gloria æterna, sabbatū perpetuum: in quo abolebuntur, mors, lachrymæ, peccatum, crux, persecutio. Porrò quæ, & qualia sint ibi gaudia, & latitiae, planè def-

cribere, temerarium, dictuque ac intellectu difficultimum.

An inferorum maximæ poenæ, acerbissimique cruciatus sint sola vtrix conscientia? & vermis ille non moriens sit sola flagitorum & libidinum recordatio? & an scelerū conscientia flagellari, sint omnes Erebi Furiæ, hique soli ἀλγόσορες & dæmones, ἐπιννωδεῖς? & nullæ aliæ scelerum faces animum vrunt, quam quod sua quisque fraude & noxa agitatur & diuerberatur?

An potius ignis gehennæ est corporeus & materialis, & tamen inextinguibilis: qui miro & inexplicabili modo animas & dæmonas afficit licet incorporeos? Imò unus ignis cruciat animos, dæmones, & homines, qui inexesa corporum laceratione nutritur. sicut ignes fulminū corpora tangunt nec absuntur. atque hic ignis alijs gravior, alijs leuior sentitur: ac ita suos quisque patietur manes, pro ratione poenæ meritæ: & licet æqualiter ardeat, tamen non æqualis sensu, & molestia ab omnibus sentitur.

*Plato ponit
acherōtem
& stygen &
cocyrum, in
quibus ani-
mas mergi
& vni affe-
uerat, in
phædone.*

Augustin.

Porro quæ fidem faciunt inferos, dæmonas, spiritusque esse, sunt sacrarum litterarum, & acutissimorum philosophorum testimonia.

Præterea miracula. nemo enim, nisi im-

pudens negabit, duodecim Apostolos, imperitos, pauperes, inermes, illiteratos, per omnes terras breui tempore fidem fecisse, Indorum sapiētissimis, Græcorum acutissimis, Romanorum eloquentissimis Christū cruci affixum fuisse Deum, idque per miracula.

Vmbræ mortuorum ac terriculamenta. Vide Ale-
xand. ab
Alexandr.
Porphyrius putat animas malorū, noxias,
ac turbulētas, & in varias se vertere formas
& eludere aciē intuentium & cogitātium.

Succubi, Iucubi. de his vide August. de ciuitate Dei, & Lactan.

Spec̄tra, quæ visu vel auditu percipiuntur. Sunt enim ędes, ostentis, vmbbris, tetriflue imaginibus infames & desertæ, quas non sit tutum incolere noctu.

<i>μαντεῖα,</i>	{	Indicant dæmonas esse & spiritus, & animos superesse a morte.	<i>His artibus spiritus euo cantur.</i>
<i>μαγία,</i>			
<i>γοντεῖα,</i>			
<i>νεκρομαντεῖα,</i>			
<i>Striges,</i>	{	Dæmonum cultrices.	<i>Et experi- menta, hac non fabulo- sa esse ar- guunt.</i>
<i>Sagae,</i>			
<i>Fascinatores,</i>			

De his, & similibus quæstionibus, quæ s̄æpe modum captumque humani ingenij excedunt, nihil temere ac arrogantius de-

cernendum aut scribendum est: quo modo faciunt philosophi, qui falsæ doctrinæ præstigias hominum mentibus prætendunt. Nobis verò satis sit piè & reuerenter credere, & assentiri ijs, quæ traduntur in sacris scripturis & concilijs de animorum natura, & statu, post mortem: sed fide certa & inconcussa credendum est. Nam veritas sacrarum scripturarum pendet a Deo, qui nec mentiri, nec mutari potest.

Nec enim de ijs rebus sentiendum, more Ciceronis scribētiſ, Si in hoc erro, quòd animos immortales credo, libenter erro:

Nec modo Aristotelis, qui ait, *νοῦς ἔστιν
γένος ἐπεροιναὶ τῆς ψυχῆς,*

Nec modo Poëtæ scribentis de statu animæ suæ ab obitu:

Fælix seu memini, siue nihil memini.

Vtinam nobis detur harum rerum mysteria, non tantum acumine intellectus, aut ingenij acie assequi: sed certa & ahenea fide *πιστεύειν*, rataque & explorata habere.

Iam venio ad quæſtionem illam, quæ plus facit ad agnitionem, & curationem morborum & vitiorum noxarumque animi & mentis.

An animus & mens affici & ægrotare possit? Nam quum sit incorporea ac im-

mortalis, verisimile est eam nec ægrotare, nec lædi posse: atque ita frustra de animi morbis sermonē instituimus. Veruntamen nemo ibit inficias in infante, ebrio, apoplectico, epileptico, carotico mentem affici, eiusque functiones impediri, aut lædi. Et si humor melancholicus in cerebri tempe- riem irrumpat, & impetum faciat: videmus mentem obnubilari, iudicium aberrare & hallucinari, teste Hippo. Atque si atra bilis cerebri arcem occuparit, sæpe ad terrifica ac funesta facinora, maniacos furiososque impelli videmus.

Si cui homini benè valenti mors repentina generosi filij vnicī & suminè dilecti nuntietur, annon statim ille ægrotabit animo? mœroréque cruciabitur? idque sine corporis vlla intemperie, aut solutione cōtinui, aut alio corporis morbo? mœror itaque ille morbus erit animi solius.

Rursus si patri, per falsum nuntium credenti, filium vnicū bello sublatum, & præter spem, filius sanus occurrat: nonne animus gaudio diffundetur? Et in Euangelio legimus angelos lætari dum suis oculis vident improbos ad frugem meliorem conuerti. Et literæ sacræ testātur malos genios ad pessima quæque instigare mentes huma-

nas, summoque odio eas prosequi. Si spiritus illi incorporei, & immateriales suis affectionibus tanguntur: quid obstat, quominus anima humana suis ægritudinibus ac vitijs conflictetur, & afficiatur? Adhæc animum compati corpori læso, aut vulnerato, ostendunt capitis ictus, fractura cranij: quæ adferunt disponentiam & delirium. Rursus corpus animo condolescere, indicant curæ, mœrores, inuidia, amores, & similes affectiones: qui marcorem, & tabem accersunt corpori. Sed ut paucis hanc quæstionem dissoluamus, medicè tamen & philosophicè magis, quam theologicè, dicendum existimamus animam rationalem, ut est rationalis, & mentem nihil labis, nihil vitij, aut ægritudinis posse contrahere, primario & protopathia, tamen ex accidenti, & secundario posse. Et ut Solis lumini & radijs nubes densa officit: ita intellectum, rationem, & iudicium obnubilat, & offuscat cerebri magna intemperies, & humorum excrementorumque velut caligo. In hypochyssi, humor crystallinus, & facultas visoria nihil patiuntur, nec læduntur per se, sed secundario, & *κατὰ δὲ τέρπον λόγον*, legéque confortij. Si conspicilla rubra, aut cyanea, vel lutea oculis admota natuum rerum colo-

rem obscurant, vel repræsentant: an propter ea oculorum acies accusanda? an potius vitrum?

Certum est igitur mentem & eius functiones vel præcipuas, intellectum, rationem, & iudicium affici, impediri, occultari, falli, errareque, sed ex accidenti, & deuteropathia, aut sympathia, videlicet pro noxa, ac vitio instrumenti læsi. Cerebrum autem, & eius temperies, sanguis, spiritus, calor nativus sunt instrumenta τῆς αἰσθητικῆς, sensus communis & intimi. Hic vero est instrumentum mentis & eius functionum. Nec enim potest quicquam animus intelligere, aut iudicare, quod non prius sensus perceperit. Vnde iactatum proverbum nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Id etiam demonstratur eo, quod surdus, & cæcus a natura doceri aut discere literas aut artes non possit. Si quis obijciat hinc consequi animas liberas & solutas corpore post obitum, nullas posse obire actiones: ac petat num destituatur suo organo? Huic respondendum, illas non posse quidē exercere functiones physicas, & quas obire non licebat illis, nisi adiutis a phantasia, & sensu primario: at post obitum, cum amplius non sint formæ, nec ἀντελέχεια, sed a-

Etus simplices, non alligati elementis suas actiones edent nobilissimas: formasque rerum omnium intelligent: & oculis mentis omnia, quæ volent, intuebuntur sine fatigacione. & vt citharoëdus non potest canere lyra, aut testudine, sine cithara, aut testudine: his tamen fractis, solutis, aut ruptis, potest nihilominus multas alias obire functiones dissentaneas a musica, vt scribere, aut legere historiam, & condere carmen. atque hac resolutione contenti facile respondebimus percontationi illi, qua quæritur,

An animus afficitur, & ægrotat *sepius* tantum, & per priuationem: quia scilicet destituitur ope & auxilio instrumenti impediti: quemadmodum sol vindetur affici, cum a densa nube occultatur, & citharoëdus, cum fracta lyra, non canit?

An potius suos animus verè patitur, & sentit affectus, vt gaudiū, mœrorem? & suis corpus tangitur affectibus & morbis, vt febre, tumoribus, vulnere?

An verò nec animæ, nec corporis sunt affectus, sed animalis totius & hominis sunt morbi & affectus? sic nec corpus nec animam ægrotare, sed cōpositum, & mixtum ex utroque dicemus:

An animum & corpus, alterum alterius legibus & morbis affici, & sibi mutuo compati afferemus?

An potius affectus quidam ab animo incipiunt, & tandem corpus & totum mixtū afflictant, ut mœror adfert hecticam & marasmus? Contra quidam a corpore per sensum in animum illabuntur & sœuiunt. ut dolor a neruo puncto adfert febrem, & delirium?

C O M P A R A T I O M O R-
B O R V M A N I M I , C V M M O R-
b i s c o r p o r i s , & i n q u o
d i f f e r u n t .

M A L A corporis sunt
affectus contra na-
turam, { *Morbus,*
 { *Causa morbosæ &*
 { *insalubris,*
 { *Symptoma, morbi*
 { *velut umbra.*

M O R B U S Ciceroni est corruptio totius corporis:

Vlpiano, ex sententia Sabini, est habitus corporis contra naturam, qui usum facit deteriorem, de Edil. ed.

Galenus est affectus contra naturam, qui primò laedit actionem. hæc definitio

excludit causam & symptomam.

Vitium corporis Ciceroni & iurisconsultis Vlpiano & Paulo, est membrorum vel membra alicuius prauitas: vt cæcitas, surditas, balbuties: & varus, vacia, plancus, simus, nyctalops, myops, φοξός magis laborant vitio, quam morbo. Ex quibus constat Vitium corporis Ciceroni & iurisconsultis idem esse, quod est morbus partis organicæ apud medicos. Cuiusmodi sunt vitia varia, figuræ, magnitudinis ineptæ, numeri superflui vel deficiens.

Vitium Iurisconsultorum est ferè perpetuum: morbus verò temporarius.

Vitium corporis, Galeno & medicis latius patet, quam apud iurisconsultos. apud illos enim usurpatur pro omni eo, quod a naturali statu decessit, atque ita

Vitium in humoribus, excrementis, spiritibus, causa est morbi:

Vitium in parte, est morbus:

Vitium in functionibus est symptoma, vel noxa.

Vitium corporis, & affectus corporis contra naturam, ferè de eadem re dicuntur: nisi quod Vitium latius patet. sunt enim quædam Vitia, quæ non sunt contra na-

turam, etiam si sint præter naturam: vt
lentigines in facie, vari, ionthi.

Noxa, *βλάβη*, hoc loco, pro læsione fun-
ctionis dicitur, nō pro culpa, aut poena.
Medicis tamen frequentior est in vsu
vox symptomatis, quām noxæ, aut a-
ctionis lēsæ, quæ trifariam læditur.

M A L A A N I M I,
Q V A E S V N T?

Sanitas corporis, quæ consistit in εὐηρα-
σίᾳ καὶ συμμετρίᾳ id est temperie & com-
moderatione: ita

Sanitas animæ præsertim animosæ & θυ-
μοιδίς καὶ διαθυμία, quæ scilicet ad
mores & vitæ officia pertinet, sita est in
έξει καὶ ἀλλήσει, id est affectione animi
constante & conuenienti, id est virtute,
a qua proficiuntur honestæ volunta-
tes, sententiæ, omnis recta ratio, animi
tranquillitas, perturbationū moderatio.

Morbi animæ animosæ, & concupiscibilis
sunt omnes ἐνούσιαι & voluntarij, ac pro
arbitrio sumuntur & ponuntur: omnés-
que culpa accidunt ex Ciceronis sen-
tentia, atque hac ratione differūt a mor-
bis corporis.

Hi enim corporis morbi veniunt ferè

*De causis
morborum
aliter senti-
unt philoso-
phi, aliter
medici ali-
ter theologi*

ἀκουσίως. inuitisque ac imprudentibus nobis, veniunt & plerique ἀτόματοι, & ἀτόκλητοι vltro, vel fato, vt putat Stoici: vel casu, vel errore in causis salubribus. vide Gal. de causis morborum & in arte parua.

*Morbi ani-
mis sunt vo-
luntarij Ci-
ceroni & pe-
niso eticis.
Ei respondent
peccatus le-
talibus the-
ologorum.*

Vitium animi animosissimum differt a morbo. quia morbi animi sunt momentanei & temporarij, & ponuntur pro arbitrio Ciceroni, quales sunt ira, amor, odium, & huiusmodi perturbationes.

Vitia verò animorum sunt perpetua aut contumacia soluta, vt Iracundia, vitium est: ira morbus, si effrenis est: Salacitas vitium, amor morbus.

Crudelitas in Nerone vitiū fuit, Sæuitia in Senecam morbus. κακόνθεια morum prauitas, dicitur Paulo iurisconsulto. ad Edil. Edic. κακία, malitia ὑπέρβοτὴ propensio, prauitas, proclivitas ad malos mores.

Vitia hæc, & prauas inclinationes ad malū Cicero cōmuni nomine vitiositatem vocat. à qua manant πάθη, πάθηματα, perturbationes turbidique motus animorum auersi a communi vitae tranquillitate. Philosophia Christiana refert has propensiones ac perturbationes ad

*Vitia ani-
mæ animo-
sa respon-
dent pecca-
to originis,
theologorū,
Morbi pec-
catus.*

peccatum originis. Paulus vocat, legem membrorum causas huius vitiositatis, & propensionis ad morbos animi & prauos mores. Galenus adscribit temperamento, habitui corporis, male educatio-
ni: Stoici fato, quod etiā hodie Libertini faciunt, & olim Manichēi ex corrupta philosophia orti, vnde illud in tragedia,
Fati ista culpa est.

*Stoicorum
et Libertino-
rum opinio
de fato, &
causa mor-
borum ani-
mi, & vicia
rum.*

<i>ἀρρώσια. Infirmitas</i>	}	animi re- feruntur ad animi.	<i>morbos,</i>
<i>ἀδένεια. Imbecillitas,</i>			<i>vitia. vitiositatē.</i>
<i>Impotentia. Inopia.</i>			<i>noxas functionū.</i>
<i>Ægrotatio, Anxietas.</i>			
<i>Infælicitas.</i>			

DE CVRATI ONE MOR-

BORVM ET AFFECTUVVM

*anima concupiscibilis, &
animosa.*

PITHAGORAS, Stoici, Plato, Aristoteles, Cicero, & philosophorum præstantissimi, animum diuidunt in duas partes: vnam rationalem, in qua collocant τὸ λογικὸν, rationem a Dei archetypo inenti insculptam. vnde lex illa æterna honesti, a qua τὸ ἀρέπον, τὸ καθῆτον, & officia vitae ducuntur: & a qua fontes honesti, decori, omniūque

*Animus in
homine dici-
tur habere,
partes non
ἐνέργεια
sed faculta-
te ut τέλος
τάγω-
νος
continet*

τερψίσω virtutum manant. hæc est regina rerum in
νον & cerebri arce locata, Minerua illa a poetis
πεντά- decantata, sapientiæ & prudentiæ dea ex
γωνον. cerebro Louis nata. In hac ratione consti-
tuunt placidam illam, & quietam, constan-
temque *ἀπάθειαν καὶ ἐνθυμίαν*, quæ est a-
nimorum vera sanitas. Qua qui benè valet
sapiens, moderatus, temperans, constans,
continens, frugalis, & frugi homo dicitur,
omnia rectè, & prudenter faciens, quietus
animo, & sibi ipse placatus.

Alteram partem dicunt, expertem ratio-
nis, brutam & belluinam: a qua oriuntur fa-
cultates duæ potentissimæ, concupiscibilis,
& animosa, id est *ἐπιθυμητὴ καὶ θυμειδῆς*.
A priori surgunt & cinctur *ὀρέξεις* & appe-
tiones esculentorum & potulentorum.

Naturales quia naturae congenitæ sunt naturæ con sentanei. Qui appetitus & motus si rationi pâre-
ant, vt sancè debent ex naturæ instituto, erūt
affectiones naturales, utiles, immo necessarij ad
benè beatè & honestè viuendum. Sunt e-
nim a prima origine, & a natura ipsa rerum
naturæ, via parente nobis inditi & congeniti, suaves il-
li quidem & maximè expetiti. nam quan-
que percipi diu in terris versamur, tandiu concupisci-
tur gustu, *& in ore vœ mus.* Alioqui si tollis sensum voluptatis in
triculi: dum apprehendit cibo & potionē, tolles valetudinē, sensum,
cibos, vix cohiberi posse & vitam: faciesque ex homine stipitem aut

saxum. Quid quod a cibi penuria fit sensus
 suctionis in ore ventriculi, fames, & concu-
 piscentia? hinc Dei inuocatio, tandem gra-
 tiarum actio. At quemadmodum in repu-
 blica benè instituta plebs & fex populi ma-
 gistratui obsequi debet: ne scindatur incer-
 tum studia in contraria vulgus: & factio-
 nes dissidia, & bella ciuilia oriantur. Sic hu-
 iusmodi affectus & appetitiones, si rationi
 non pareant, aspernenturq; leges honesti,
 nec retineantur fræno τ& πέποντος & de-
 cori, fiunt animi ægritudines, affectus vitio-
 si & corrupti: cum scilicet euagentur & ex-
 cedant cäcellos & limites modi & necessi-
 tatis a natura instituti. Hinc in ore ventricu-
 li & hepate rabida & inexplebilis cupe-
 diarum orexis. hinc effrenis illa appetituū,
 cibi & potionis ἀπεξία: hinc immanes &
 indomitæ ήδονῶν ac voluptatum libidines.

Quarum veneno mens ebria, obruta,
 sepulta, sui impotens, hepatis & animæ cō-
 cupiscibilis ferocientib. affectibus manci-
 pata famulatur: corpusque & anima in le-
 tales voluptates iunctis amplexibus de-
 labuntur: & tandem ex hominibus, nobis
 fiunt helluones, voluptuarij, lurcones, ligu-
 ritores, luxu perdit, temulenti, vini gurgi-
 tes, bonorum decoctores. hi enim quid a-

test, nec de-
 bet, quia na-
 turalis, &
 facit ad va-
 letudinem
 corporis &
 animi.
 Sed voraci-
 tas, crapa-
 la, inglu-
 uies, possunt
 frenari.

Hi motus
 in brutis nō
 sunt vitio-
 si, nec sunt
 morbi: in ho-
 mine vero
 fiunt morbi
 culpa ratio-
 nis connivē-
 tu, vel vi-
 tiosæ.

Causæ mor-
 borum ani-
 me concupi-
 scit, sunt tem-
 peratura
 corporis, ap-
 petentia ca-
 nina, hur-
 mor frig. a-
 cidus, melā-
 cholæ natu-
 ralis, mala
 confuetudo
 vorandi &
 liguriendi.
 Helluones,
 lurcones, ex
 hominū fa-

cis, in vul- liud sunt, quam belluæ & feræ?

tus, & ter-

ga ferarum

mutantur:

vt ait Virg.

et Homerus

in odyssi

hinc Sarda

nap. Helio-

gabali.

Eiusdem animæ concupiscibilis, præser-tim infimæ & abiectioris partis affectus & morbi sunt, appetitus venereorū effrænes, ac libido, cuius ignes & incendia porrò in-sfra præcordia, procul a regia, in testes, rerū & naturæ Dominus, tanquam ferum & in-domitum quoddam animal ad præsepe al-ligauit: propterea quod violentissimos mo-tus excitare consuevit. Est tamen modera-tus veneris usus ad valetudinem tuendam utilis, & ad generis propagationem nece-sarius. Cum verò hæc facultas rationis im-perio non libenter obediatur: & frustra, recla-mante rege, tyrannidem ac rebellionem

He flāmę moliatur: venerisque tantæ sint illecebræ, & incendia libidinis in ac lenocinia, mulierum blanditiæ, & ille-
libidinis in Etamenta: fit, vt affectus alioqui natura v-brutis non sunt morbi: sunt vero in homine cul-pa rationis dormitatis aut depra-nate.

species, ἀνόλαγοι. qui circa venerea sibi tē-perare nō possunt, hos rectè dicas impro-

Cause harū perubatio- bē libidinosos, ασελγεῖς, molles, lasciuos, num sunt, temperame petulātes, ad omnem libidinem procaces, tum testū *ταυδεπάσγις*, siccus, nefariæ ac prodigiosæ vene-
temperatū semen co-ris homines.

Porrò hæc pars ignobilior facultatis θη-

Θυμοῦ τικῆς, in philosophia Christiana est pars
tertia veteris Adami, apud Paulum, lex car-
nis & membrorum: quę ciet motus & flam-
mas inextinguibiles, repugnantes rationi
philosophorum, & legi Dei.

Et hoc tempore, si vnquam alias, nulla
fera in moderandis his perturbationibus
venereorum, effrænatiō, nullumque bru-
tum stupidius homine.

D. Paulus hæc pathemata, & animæ cō-
cupiscibilis morbos, vocat carnem, corpus,
carnis opera & studia, exteriorem homi-
nem, legem membrorum, Adamum terre-
num, Euam carnalē. Cuius oculos callidus
ille serpens quotidie sollicitat, & quæ cor-
ruptā virum ad communionem mali inci-
tat & impellit. Sunt igitur hi affectus a pri-
ma naturæ institutione naturales, ac insiti
hepati & testibus, sed degenerant, fiuntque
vitiosi culpa rationis & iudicij, hallucinan-
tis, conniuentis, turpiter seruientis. Porrò
mederi his affectib. & animi concupiscibi-
lis morbis, pertinet ad magistrum morum,
& philosophum ἡθοποιόν. Qui ex penū phi-
losophiæ, antidotum promet, venerandam
illam σωφροσύνην. i. temperantiam: quæ im-
perat voluptatibus, quas vel abigit, vel mo-
deratur, vel ad modum & τὴν μετριότητα

*Bacchus, si
renū can-
tus, educa-
tio inter
molles, lasci-
uos.*

*Caro apud
D. Paulū.
quid?*

*ἀσέλ-
γεια φι-
λογυ-*

*veία,
mollicies, ne
quitia, mu-
lieres, stas,
sciuria, peru-
lātior sunt
vitia partis
animæ con-
cupisc. un-
de morbi &
perturbatio-
nes libidinis*

*Coercentur
parsimonia
cibi, & vi-
ni, fuga lu-
xus, lauti-
tarum, &
superfluo-
rum, confus-*

sudine cum bonis, temperatis, vi- redigit, & coërcet. Qua ratione autem me-
tandoque pocula Cir- dicus hos animæ concupisibilis morbos
cess. curare velleuare possit, etiam si sine corpo-
 ris morbo fiant, in sequentibus ostendam.

Eiusdem partis irrationalis etiam sunt affectus animæ animosæ, quæ & irascibilis,
 $\vartheta\mu\omega\delta\eta\varsigma$ & $\vartheta\mu\omega\delta\eta\varsigma$ & $\vartheta\mu\omega\kappa\eta$ dicitur,
 quæ sedem habet in corde. Cordis duplex est facultas. Altera $\beta\omega\tau\iota\kappa\eta$, quæ & $\zeta\omega\tau\iota\kappa\eta$. i.

Cor author pulsuum, qui motus sunt naturales tantum. vitalis dicitur Aristoteli. Hęc calorem natum fouet, corpus illa quidem non alit sed vitam tuetur: motuque perenni cordis & arteriarum spiritum vitalem procreat. huius facultatis motus & affectus non sunt in nostra potestate, nec sunt voluntarij. Cuius morbi & symptomata traduntur a Galeno in libro de pulsibus: curanturque a medicis non a philosophis.

Cor sedes perturbatio num & af- Posterior cordis facultas, quæ $\vartheta\mu\omega\delta\eta\varsigma$, $\vartheta\mu\omega\delta\eta\varsigma$ & $\vartheta\mu\omega\kappa\eta$ dicitur, motiones affectusque habet in duplice differentia.

motus sunt voluntarij. Nam alij sunt mitiores, placidiores, quietio-

Affectus anima ani- res, & $\iota\pi\mu\alpha\iota\iota\iota$, quales $\sigma\varphi\gamma\alpha\varsigma$ $\varphi\iota\sigma\iota\kappa\alpha\varsigma$, $\iota\theta\eta$, un-
mose dupli- de $\iota\pi\kappa\alpha\varsigma$, $\eta\pi\iota\theta\eta$, $\iota\pi\pi\pi\iota\iota\iota$. hi sunt motus animi, ex-
ces.

Hi motus sunt naturales una ratione, a- naturæ instituto cōgeniti, quibus quamdiu versamur in terris, velut stimulis ad omnia virtutum officia incitamur. Nam vt nauiga-
lilio sensu vo- luntarij. tio sine ventis, aut remis nō fit commodè:

ita vita humana, sine his motibus, affectiōnibusque animi & cordis, non degitur. & vt maris tranquillitas apparet, nulla aut leui aura fluctus cōmouente: sic animi status quietus, securus, mansuetus, constansque intelligitur: cum nulla perturbatione cietur, aut percellitur. Mare verò raro manet sic placatum, & tranquillum: vt non cieatur aura, vento, aut vehementiori flatu: sic animus rarissimè manet immunis ab affectibus.

Hæc nō mitioresque affectus, Platonicis, Peripateticis, Theologisque, etiā in sapientem cadunt. Sunt enim naturæ cōsentanei, vtiles ad virtutum calcaria, quibus ratio modum, frēnumque imponit. Sunt etiā in hominis arbitrio: quos dum vult laxat, & dum lubet, contrahit. Plato in legibus, hos leniores & placidiores affectus, seu funiculos quosdam vocat a natura inditos, quibus trahimur ad varia virtutum officia. Quos si in totum tollere velis ex humana natura, homo euadet iners, ignauus, stipes, ἀπαθῆς & ἄσοργος. Rectè igitur natura homini indidit appetitiones & affectus, vt prosequeretur cōuenientia, fugeret nocitura. Sed illis præ fecit gubernatorem, scilicet iudicium rationis, quo reuocentur ad mediocritatem, ne euagentur extra metas.

Alij affectus & motus animi sunt aceriores, ferociores, effrenatores, qui dicuntur *ōρμαί, ὄρμηματα*: quod impetu huc & illuc rapiat, πάθη, πάθηματα. i. animi ægritudines, perplexiones, motiones, vel potius passiones. Cicero vocat perturbationes, iactationes animorum citationes, & impetu inconsiderato elatas: quæ rationem repellunt, & percellunt. Hi violenti affectus a naturæ cōstantia, longius discedunt, & euagantur, siue cupiendo, siue fugiendo. Harum perturbationum procellis iactati animi, quis Eurypo inquietius æstuant: deturban turque ab illa απάθεια & animi tranquillitate & constantia. vt in maris fluctibus & vndis, alijs sunt motus mitiores ab aura tenui, alijs vehementiores, & concitatores in salo & æstu, alijs horrida tempestate mare omne versant cum arena & ipsis piscibus: sic in animorum affectibus, quidam sunt lenes & mitiores clavo rationis directi, alijs ferociores, & euagantes, alijs animum vniuersum concutiunt & de rationis sede, & statu iudicij, ac constantia deturbant.

Stoici putant vtraque affectuum genera, tum θν, tum πάθη esse morbos ac ægritudines animi, errores, hallucinationes, & deliria: & omnes affectus tum leuiores tū

*Regnum &
tyrānu per-
turbationū
animi.*

*Philosophi
mirantur,
unde in ani
mis tanta
affectuum
rebellio.*

*Philosophia
Christianæ
refert istud
ad labem
primi parē-
ti.*

ferociores fieri opinione , & esse mala opinio-
nisi & iudicij , non naturæ : & abijci, aut
suscipi posse pro arbitrio:& si poni possunt,
posse non suscipi. Nam amantes,timentes,
irati,zelotypi sibi somnia fingunt: timēt sæ-
pe,quæ nusquam sunt:sic affectus nobis ip-
sis inuehimus ex falsis nostris & deprauatis
rerū iudicijs. Vnde illud Senecæ, qui haud-
dubiè fuit Stoicus , opinione nos sæpius,
quam re laborare,& esse plura, quæ nos ter-
reant, quam quæ premant.

Contra Plato, Aristoteles, Peripatetici ^{Stoicorum}
_{ridenda} omnes, Theologiri dent Stoicos vt ἀσόρπες, ἀπω-
ἀπαθεῖς velut philosophos ἀναισθίους , in- _{Deia.}
sensiles : qui axiomata tradunt , quibus ho-
mines reddant saxcos: nullóque affectu sint
in suos : nec fortunis nec infortunijs suorū
tangantur. Nam affectiones omnes ex na-
tura tollere est motum , sensum , & vitam
tollere. Et satis constat naturales appetitio-
nes & affectus , vt famen , sitim , sensuum
motus & affectus, vt dolorem , & volupta-
tem , oriri omnes ex ipsa natura , non opi-
nione sola , vt delirant Stoici.

Porrò hi omnes motus & affectus tum
naturæ consentanei, tum vitiosi, id est , &
πάθη , & ήθη , nascuntur ex rebus obiectis,
æstimatis & opinatis tam bonis quam ma-

40

Iis. animosæ enim facultas tantum mouetur, quantum ratio æstimarit. Quæ si est valida, experta, bene instituta, res obiectas æstimat ferè, quales sunt. At si ratio sit imbecillior, rudior, inexperta, malè instituta, prauis moribus imbuta, errore populi aut mala consuetudine corrupta, errat, ac fallitur in rerum æstimatione: & res maiores vel deteriores quam sint, æstimat. fiuntque illa παθήματα opinione magis quam re. proinde hæc παθήματα, & animæ animosæ ægritudines ferè contingunt mulieribus, pueris, decrepitis, μικροψύχοις, & pusillanimis, meticulosis, male institutis, ὀξυθύμοις.

*Vt animo-
sa sequitur
rationis
phantasia.*

Peripatetici, & Christiani, distingunt affectus naturæ conuenientes & bonos, a vitiis & corruptis, sed non eadem ratione. Illi enim vehementes omnes affectiones, παθήματα, perturbationes vocant, & damnant: hosque violentos affectus aut extirpandos, aut coercendos, nec horum aliquē esse usum. At in nostra disciplina Euangeliæ, non omnes vehementes affectus exploduntur, nec apud nos queritur, vtrum pij valde irascantur, sed potius cur irascantur: nec vtrum pertimescant, sed quid timeant: nec an valde ament, misereantur: sed quid, & quamobrem?

Stoici & Peripatetici, cum in suis ἡθικοῖς ^{mediocritas} scribunt de affectibus vitiōsis, aut bonis, omnia referunt ad quandam ciuilem vitæ cōfuetudinem, ad humanum conuictum, & generis humani societatem, & ad externas actiones: quibus in hoc vitæ curriculo, tanquam in scena personati appareamus populo bellissimè vitam degere: & a virtute illis decantata, rationēque humana, tanquā a fonte, tradunt manare honestas actiones, sententias, τὸ ὠρέπτον ή καθῆκον, decorum & officia omnia, quæ pertinent ad mores & vitam ciuilem. Hinc illa philosophorum & Ciceronis fœlicitas, ἀπάθεια, εὐθυμία, tranquillitas, constantia, affectuum moderatio, harmonia morum. Sed quisnam quæso finis horum? quis scopus? nisi gloria, & existimatio sita, in iudicijs hominum, in fiducia ingenij, & humanarum virium prudentia: cum interim omnes ducantur φιλαυτίᾳ, τύφῳ, & fastu.

At Euangelium & philosophia Christiana non diu immoratur in tradendis præceptis, de moribus vitæ ciuilis: tametsi ea non improbet, at exactius nos erudit de voluntate Dei, fiducia erga Deum, de pietate, de gratia, & reconciliatione hominis cū Deo, de παλιγγένεσίᾳ & regeneratione per Spiri-

Virtus philosophorum fit viribus ingenij & humanae sapientiae.

tum Sanctum in baptismo. ex quo constat Deum permisisse Platonem, Aristotelem, Cicerorem summosque viros iudicio humano præstantissimos homines, hallucinari in veri & recti inquisitione: vt ostenderet nec fines bonorum , nec scopum veritatis attingi posse, nisi ipso demonstrante.

C V R A T I O M O R B O R V M
animi animosi & affectuum vitiosorum
methodo Stoicorum, Peripateticorum,
Epicureorū, Theologorum, Medicorū.

Affectuum animi animosi, & pathematū alij fiunt causa vel opinione Bonī	præsentis	<i>Gaudium χαρά,</i> <i>lætitia,</i> <i>hilaritas,</i> <i>incunditas, ἡδονὴ,</i> <i>festivitas,</i> <i>gratulatio,</i> <i>omnis animi voluptas,</i> <i>& motus animi gratus</i> <i>& incundus,</i> <i>spes ἐλπίς,</i> <i>desiderium τόθος,</i> <i>expectatio τέλεσθαι,</i> <i>cupiditas boni veri vel</i> <i>opinati.</i>
	futuri	

In his Cor dilatatur, amplificatur, expli-

catur, sanguis purior, syncerius redditur: spiritus attenuantur, illustrantur: colorem vividum, floridum, efficiunt epicrasii: & suaui quadam sympathia valetudinē confirmāt, calorem natuum vegetant, excitant spiritus, exhilarant, amplificant.

An Gaudium, lætitia & huiusmodi motus animi grati & iucundi sint ægri- tudines?

Epicurus collocat felicitatem in voluptate corporis & animi: opinaturque eam vitam beatissimam, quæ plurimum habet gaudij, & voluptatis, tristitiae quamminimū. Sic gaudia & lætitiae Epicuro, sunt expetenda, modo non sint mentis gaudia falsa, ut ait Virgil. nec sint plena luctus, ut ebriorum, scortatorum.

Stoicis Gaudium verum, & motus animi iucundi non nascuntur, nisi ex virtutum conscientia. Solius sapientis est syncerum illud, & perpetuum gaudium. Fœlicitas, lætitia est sapienti domestica: nec fauorem fortunæ expectat, nullaque rumpitur fortuna: semper est & ubique tranquilla. Stulti, intemperantes, ebrij, saltantes, Bacchâtes, & moriones lasciuis gesticulationib. risus, & falsa gaudia sibi & populo commouent. Sed non verè gaudet, qui ridet, cachinnat,

*Gaudium
verum non
est animi
perturbatio
Epicuro.*

Seneca.

*Verū gau-
dium Stoicū, non est
perturbatio.
Stultorum
gaudia nas-
cuntur ab
opinione, nō
virtute. sic
tollenda.*

& insolenter exultat. in summa Stoicis, gaudium verum, non leuis quædam est hilaritas, sed res seuera, eademque iucundissima.

Peripatetici aiunt necesse esse animos cieri, agitari gaudio, lætitia, ac hilaritate. Sed modum quendam & τὴν μεγίστην adhiberi oportere. Nam philosophia vitæ hu-

Gaudium magnū per turbatio Pe ripateticis. manæ dux & magistra morum. Gaudium insolens, & lætitiam immodicam, risusque sub fræno tenet: & ceu Proteum vinclis tenacib. stringit: nec patitur euagari longius. Itaque gaudij, lætitiae, hilaritatis, & horum motuum iucundorum, si modum exceferint, sanatio & medela in vna virtute est posita: quæ est lex decori & mediocritatis ηθικῆς.

In Christiana philosophia, Gaudium internum est pax conscientiæ: quam habemus erga Deum. Proinde D. Paulus longè aliter curat hos affectus, quam philosophia Epicuri, Chrysippi, & Aristotelis, quæ quam sit illis velut lex naturæ, sapientia & ratio humana: Tamen philosophi etiam præstantissimi tanquam personati seruiunt suo cuidam decoro. Et quod histrio facit in scena, id sapiens huius sæculi præstat, in vita ciuili. D. Paulus horum philosophorum studia, & axiomata vocat sensum carnis, imò

Pax conscientiæ, gaudium Chri stiani.

Virtus philosophorum est persona ta. nec animos pur gat.

iudicium, & rationem humanam, partem veteris hominis appellat. Hinc apud sapientes huius saeculi multæ de Deo dubitantes, Epicureismus, φιλαυτία. Itaque Evangelium magno interuallo differt a philosophia cuiuscunque sectæ, in curandis animi affectibus. Nam D. Paulus & philosophia Christiana non tollit gaudium, & similes affectus etiam vehementissimos ab homine: sed mutant, aut pietati charitatique accommodant: ut gaudet D. Paulus in afflictionibus. Et Gaudium magnum ex resurrectione Christi mulieribus accidisse scribit Marth. Et non est sensus & oblectamentum super cordis gaudium Ecclesiast. 30.

Galenus & medici, huiusmodi affectus & motus animi gratos & iucundos, ut gaudium, hilaritatem, cum vitam homini producant, sanguinem & spiritus puriores efficiant, ac suaui quadam Epicrasi valetudinē confirmant, ac tueantur, inter causas salubres enumerant. Rursus cum gaudium infolens & effusum spiritus, caloremque natuum aliquando dissipet & exhauriat: præfertim in senioribus, mulieribus, & imbecillis mortem repentinam adfert. Quod Diagoræ Rhodio, Chiloni Lacedemonio, Sophocli, authore Plinio, contigisse memorię

*Medicis
Gaudiū &
latitia mo-
tus sunt mo-
do salubres,
modo insa-
lubres.*

*Laritę exu-
perantia a-*

*liquando le
talis.* proditum est. atque ita hos motus animi modo inter causas salubres, modo insalubres collocant.

*A medicis,
oēs tales per-
turbationes
rejciuntur,
tanquam va-
letudini ad-
uersæ, & nul-
lius usus in
vita tuenda.*

Morbi animi
& affectus,
qui fiunt cau-
sa, vel opinio-
ne mali,

præsentis

futuri

*Mæror, tristitia, dolor,
ægritudo,
odium, ira radicata, in-
ueterata,
inuidia,
ira,
malevolentia, offendio a-
nimi, indignatio,
luctus omnia genera,
misericordia,
timor,
pauor, consternatio,
desperatio, exanimatio,
pudor, auditas, metus de-
decoris,
Zelotypia, species metus.*

*In hu cor
cōtrahitur,
cōstringitur τὸ θυμοειδὲς οὐμαχεῖ τῷ λογισμῷ: & fit re-
spiritus, hu-
mores com
primuntur,
conculcan-
tur, calor
natinus
suffocatur,
obteratur.*

Habitus

Causæ harum perturbationum sunt cum
bellio animæ animosæ erga rationem: cum
ratio malè imperat: quia imbecillis, aut ru-
dis: & voluntas malè obedit: quia malè insti-
tuta. at Medici referunt causas, ad mala tem-
peramenta cordis, vnde proclivitas & im-

petus ad iram, temeritatem, & audaciam, a ^{corporis &}
corde calidore, sicciore: & *θειλία, θυμία, ἀσθετική*, ^{offa exiccat}
πολυία, αργεία, a frigidore corde: & ira implacabi-
lis, a siccitate immoderata cordis.

C V R A T I O Æ G R I T V D I-
num animi, & morborum, qui carentur
ex opinione mali præsentis, vel futuri.

Mœror, mœstitia, tristitia, dicitur Ciceroni propriè ægritudo animi, etiam si aliæ perturbationes dicantur aliquando ægritudines animi.

Causæ mœroris, opinio aliqua de malo constringente & comprimente cor & spiritum vitalē, absentia sola boni opinati, vt ^{Species æ-}
mors amicorum, liberorum: lœtitia aliorum ^{gritudinis,}
mœrentibus tristitiam auget. Omnia gene- ^{i. mœroris,}
ra luctuū adferūt mœrorem. mœroris sym- ^{vide Tusc.}
ptomata sunt odium hominum, misanthro- ^{4.}
pia, odium lucis, & rerū humanarum. mœ-
rentes iuuat solitudo: & altius demersi in
mœrore nō admittunt solantia, nec exhila-
rantia: fastidiunt facetias, iocos, vrbana,
festiuæ omnia: sibi ipsis augent ægritudinē,
malorumque texunt telam: suspiciones va-
nas longissimè mittunt. Mœrent plerique
& tristantur sine causa nec vera, nec opina-
ta, vt melancholici: in quibus spiritus obte-

nebrantur, & vapore tetro, fuliginoso mēs
ingeniumque offuscantur. vide Commen-
tariolum nostrum de melancholia morbo.

L E V A T I O Æ G R I T V D I-
nis, doloris animi, molestiæ, tristitiae, &
luctus ex philosophia Epicuri.

Cicero ridet Epicurum. nec enim est in nostra pō testate non tangi, nec moueri ma lu fodicanti bus, nec r̄st in expedito eorum obliuio. vel dis simulatio. Medela consistit in duobus, in auocatio-
ne animi, a cogitanda molestia, i. in reuoca-
tione animi ad contemplandas voluptates.
Ratio vetet animum attendere & cōcipe-
re molestias: abstrahat aciem mentis, ab a-
cerbis cogitationibus: tota mente contre-
tet voluptates, quibus perfundatur: reuo-
cet memoria præteritas, & spe futuras volu-
ptates prospiciat: ratio iubeat animum co-
gitare suauissima, iucundissima, & obliuisci
molestiarum: traducat conatus omnes ani-
mi, ad ἡδονὰς, & voluptates, quæ recordatio-
ne, sensu, vel animo & spe excogitari pos-
sunt. atque ita Epicureus omnes animi æ-
gritudines, ac moerores discutiet, & seda-
bit. hinc Epicurei dicunt vitandā esse Reip.
gubernationem: vt pote plenam sollicitudi-
num, quæ s̄pē tragicos exitus adferat.

C V R A M O E R O R I S, E T
doloris animi ex sententia Stoicorum.

Putat Stoici has animi ægritudines, mœrorem & omnia genera luctus, esse παθήματα, & perturbationes opinionis, non rei, nec naturæ: nec hos affectus cadere in sapientem, sed tantum in stultos, insipientes, & deliros.

Sapiens enim mente est serena perpetuò, Sed heus tu
lector, hac omnemque fortunæ iniuriam constanter magnō fa-
stu dicun- reuerberat, & ante se frangit: sic tristitiam & tura Sto-
ci, sed non
fiunt: mœrores non recipit, eundem seruat vul- oi λογοί
tum, placidum & inconcussum. Si quis ta- sunt Stoico
rum. men Stoicæ sectæ addictus, paulo rudior adhuc aut ratione infirmiore fuerit, aut res, quæ mœrorem, aut luctum adferunt, animum valde exagitent: habebit in promptu illud commune axioma Stoicum: Omnia hæc pathemata esse mala opinionis non naturæ: & in nostro esse arbitrio abijcerè vel admittere mœrorem, luctum. Cum igitur ex opinione velut radice nascantur, hac elisa, fibræ facile euellentur, & marcescent, sic facilis horum sanatio. Aliud est antidotum habendum in expedito aduersus has animi ægritudines, nihil oportere videri nobis inopinatum. Nam prouisum minus sentitur, & lenit aduentum mali futuri, & anteuertit mœrorem. & cum mala præuisa & exspectata leuiora mitioraque videantur, signū

D.

Nihil ve-
niat nobis
inopinatum.

est omnia genera mœroris & luctus esse in opinione, non in re. ponuntur igitur pro arbitrio. aiunt præterea omnia fieri fato , sic æquissimè ferenda.

L E V A T I O M O E R O R I S & luctus methodo Peripateticā.

Aiunt difficile esse animos non agitari, lugere, lamentari, afflictari, inœrere, & non sentire animi ægritudines, pro rei luctificæ, grauis, aut molestæ præsentia & obiecto: sed quærenda esse auxilia, ad leuandos hos *Inter mora
les philosoph.* animi morbos. Quos si tollere omnino, aut *Ἐνδο-* supprimere nequeas, sunt tamen sedandi, *πωσός.* placandi, coercendi, ne longius euagentur *Teripateti
ci prestante-
tissimi.* ac ferociant.

Harum igitur ægritudinum sanatio & medela, in vna virtute, ac philosophia est *Philoso-
phia, via
dux ad* posita, quæ mœrores, luctus, & huiusmodi *ἡθικὴν,* mentis onera, & violentos affectus, miti-mediocrita-tem, perturbationum sedationē. *gat, lenit, frænat.* Quod a rusticis, mulierculis, pueris, impetrat longa dies: id a cordatis & Peripateticis debet impetrare ratio & philosophia. Remedia alia varie colligere-re licebit ex *ἱθοποιοῖς, ἱθολόγοις, ἱθολεγόοις* morumque magistris ac formatoribus, vt Aristot. Cicerone, Seneca. cuiusmodi est illud.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

Et planctus, gemitus, fletus, lachrymæ, mœror, omnia genera luctus, mortuis sunt inutilia, lugentibus verò amicis grauia sunt, molesta, & perniciosa: vt potè malum malo addentia. Et bonus animus in re mala dividium est mali.

LEVATIO ÆGRITVDI-
num animi, mœroris, ærumnarum, &
crucis, methodo Euangelica.

Primum oportet liberare animos a furore Epicureorum, qui putant Deos non videre, nec curare humanas ærumnas & calamitates. nec etiam philosophia Christiana assentitur Stoicis, qui existimant stellarum concursus, planetarumque errores ac fata, ærumnarum, mœroris, calamitatumque humanarū esse causas. Nā sacræ literæ luculenter ostendūt homines afflictari mœrere, calamitosos esse, corpore & animo cruciari, non casu, sed Deo vidente, & permittente. Et quamquā crux, ærumnæ, mœrores, luctus oriri videantur a materiæ cursu, hominum mœlicia, aut maligno spiritu: tamen aliquo Dei consilio permitti sacræ litteræ testantur, intra tamen metas & limites præscriptos. & ob hanc causam p̄ij ho-

Tuχη
& casus E-
picureorū.

Fatu Sto-
corum.

Prouden-
tia Dei
Christianis.

mines modo durius excentur, rursus liberantur: ut vigeat in mentibus nostris lumen illud: homines non casu affligi, mōere, tristari, occidere. vnde Hier. cap. 3. Quis est iste qui dixit fieri hæc (de persecutione israelis intelligit) nō iubente dño? Sic Esaiæ 45. Ego faciens pacem, creans malum, & pœnas. Reg. 2. Dominus mortificat, & iustificat. Stauamus igitur firmissimè, ærumnas, mōerores miserias, & cruces mitti aut permitti a Deo, & tacito abditoq; suo con filio exercere homines. nec cogitemus, vt dictum est, more Epicuri, aut fato, Adrastiaque rerum ineuitabili *εἰμαρμένη*, sine Dei prouidentia ac nutu, omnia miseri, nasci, occidere. quibus telis Satanæ sauciantur multorum mentes. Leuatio igitur ac consolatio ægritudinum animi ac mōeroris, crucisque hæc erit maxima: existimare Deum adesse mōerentibus, lugentibus & afflictis, dummodo magna animi contentionē Deum inuocent, & auxilium implorent, Psal. 33. Prope est dominus ijs, qui tribulato sunt corde: & alio loco, Inuoca me in die tribulationis. Deus afflit, castigat, non vt perdat, sed vt ad resipiscientiam nos trahat. vult a se peti, & expectari auxilium. Tragici euēntus Imperatorum, Cæfarum,

*Adflictis
& mōerenti
bus Deum
adesse.*

regum, ac fata luctuosa clarorum virorum,
qui olim valuerunt virtute bellica, poten-
tia, opibus, vel eloquentia indicant satis
quicquid est sublime, superbū, gloriosū, si-
ne veri Dei agnitione, euerti, nec postea
instaurari posse. Deus vult ut homo ærum-
nas, miserias, mœrores, & animi corporis-
que cruces experiatur: ut his pressus & ob-
sessus opem a Coelestibus expectet. Me-
lius igitur sacræ literæ tradunt causas ærum-
narum, crucis, & mœroris, & harum con-
solationes & remedia, quam philosophi
gentiles. Qui videntes nullum exitum mœ-
roris, nec ullū opitularem ἀλεξανδρὸν, mor-
tem sibi consciuerunt: ut Cato, Brutus. &
Demosthenes pulsus ciuitate, animi impo-
tens muliebriter lamentabatur. Et pleri-
que videntes mœrores & animi ægritudi-
nes nulla cōsolutione humana leniri posse,
delapsi sunt ad illud Optimum non nasci.

M E T H O D V S M E D I C A

curandarum animi ægritudinum, quæ
fiunt opinione mali, ut mœroris, luctus.

Cicero in Tuscul. quæstionibus existi-
mat medicinam ægritudinum animi peten-
dam esse a philosophia, nō ab arte medica.
Quod scilicet morbi animi sint voluntarij,

54

Possunt enim, ait, ab iaci & suscipi pro arbitrio. Spontè itaque & pro arbitrio possunt curari. & animi morbos, plerique homines. nec animo, nec corpore sentiunt: aut si sentiant, negligunt, vt ambitiosi, cupidi, inuidi. Præterea fit sæpe, vt qui bellissimè valet corpore, quique optima est temperie, constitutione & habitu, animo ægrotet sine intemperie, sine solutione continui, sine tumore aliquo, aut alio affectu corporis. Nō erit igitur ad leuationem, curamque morborum animi, opus medico: nec medela luctus, mœroris, & similium animi ægritudinū petenda est a pharmacopola, aut ab Indis & barbaris, exoticisq; pharmacis: sed a philosophia, sapientūq; præceptis, ac ἡθοῖς. Animis em, quēadmodū & corporibus, sua est sanitas, sui sūt morbi, sua sūt remedia.

Galenus atq; oīs medicorū chorus respōdebūt Ciceroni has animi ægritudines cōsiderari a medico, non solū tanquā animi morbos, sed etiā modo vt causas, modo vt

A morbis animi corporis alteratur, & a naturali statu euertitur. symptomata morborum corporis.. Dum enim vident ab his cor contrahi, compri- mi, pulsus mutari, calorem natuum suffo- cari: experimentis quotidianis obseruant iras, & ex cam descentia in gignere ephemeram, dein febres putridas: mœrorēm-

que inferre hecticam, marasimum: corpusque offendere ac reddere aridius: has animi ægritudines inter causas insalubres referunt. Rursus cum experiamur quotidie intemperaturam cordis calidiorem, sicciorum, ac cendere iram, videamusque bilem, audaciam, & temeritatem, humoremque melancholicum, mœrorem, tristitiamque, etiā sine causa, gignere hos animi affectus: ad symptoma intemperaturarum cordis, vel fanguinis vitiōsi, & humorum cacochymiam referunt. atque ita medicus has animi ægritudines leuat, lenit, curat emendando intemperaruras cordis, purgando humores, qui sunt in vitio.

Iuuat etiam, & leuat mœrorem, aliasque animi ægritudines instituendo rationem vietus commodam, temperatam, modicè humectantem, præscribendo, alterantia, & roborantia, cor illustrantia, augentia spiritus vitales, exhilarantia, recreantia sensus omnes, & animum spectaculis. Qui mœrore egrotat, molliter inambulabit per prata viridantia, hortos amoenos. Vide reliqua, quæ pertinent ad curam mœroris, in commentario nostro de melancholia morbo. Leuat etiam mœrorem, habere socios malii. Vinum discutit mœrores. Auersio cogitationis a re molestante.

*Animi mo
res & per-
turbationes
sequentur
corporis tē-
peramentū.*

*Perturba-
tiones ani-
mæ animo-
se quo a me
dico cuen-
tur.*

Q V A M E T H O D O L I-
ceat mederi excandescentiæ, & iræ.

ōργὴ, Ira est vehemens animi perturbatio ac
θυμός commotio ad vltionem extimulans.alij af-
θύμω- fectus animos impellunt, agitant: ira vero
στις præcipitat, percellit, vt procellæ ac fulmi-
animi.orū. na. Ira nascitur ex opinione contemptus,
 aut opinione iniuriæ illatæ. Ideo iratus vult
 ostendere se ac sua esse aliquid nec parui
 æstimanda.

Hæc animi vehemens perturbatio,
Ira, quomo- do afficit corpus. ceu feruor ac φλόγωσις, ciet foras, & euo-
 cat, sanguinem, spiritum & calorem nati-
 um,idque ἀθερώσ & confertim: non autē
ὑπέμενα nec sensim, vt gaudium. ira primum
 spiritus, dein humores, corpusque vniuer-
 sum calfacit, inflammat: vnde febris ephe-
 mera, vel synochus, vel putrida, Symptoma
 ta iræ, sanguis in corde turgescens. vnde tre-
 mor, palpitatio in pectore & corde: ardent
 oculi, flagrant, micant: os distorquetur, &
 tremit, spumat: mutatur vultus: sermonis
 impedimentum & Balbuties: pallent genę:
 labia mutantur: vox fræmit: sermo prærup-
 tus, malè explanatus: gestus & membra nō
 sibi constant: alia symptomata horrifica, in-
 decora in vultu & gestu.

Quisunt Ira scuntur cito & facile, valetudinarij,

& ægri. sunt enim morosi, & animi cuncta iræ præcipitu & para-
fastidiētis. Senes, δύσκολοι, δυσάρεστοι, queru- tioris, sunt
li morum sunt contrariorum & nimis exa- fere morosū
ctè omnia fieri poscunt: vnde iracundia. τρέπονται, queruli,
Pueri, mulierculæ, in quibus impetus an- μοι, ὅπ-
teuertit iudicium facile incandescunt. γίλοι.

Studio literarum addicti, quia cerebro sunt
calfacto, τρέπονται. Biliosi, iracundi ut stipu-
læ cito ignescunt, ita bilis in his cito inflam-
matur, sed sero deferuescit. Inexperti, &
qui vitam solitariam degunt, nō assueti sunt
iniurijs propulsandis, & tolerandis. Qui pu-
fillo corpore existunt, eorū spiritus coacti,
ob loci augustiā cito inflammantur, & igne-
scunt. Ieiuni & famelici. hos inedia & lōga
mora prionores ad iram reddit. Cōsuetudo
plurimum facit ad iracundiam. consuetudi-
ne enim quadam plerique ad minimā velli-
cationem, & offensiunculā, excandescunt.
Educatio mollis & blanda, cui nihil nega-
tur, iracundior ad offendentes: & fœlicitas
iracundiam fouet. Sunt qui concitantur re-
leuissima ut tussi, sternutamento alterius,
aut musca volitante.

LEVATIO AC MEDELA

excandescentiæ & iræ, remediaq; quib.
repellitur, vel sedatur.

Sapiens Epicureus, si sentiat motiones aliquas iræ aut excandescentiæ, statim ad commune remedium omnium perturbationum cōfugit: auocat animū, a cogitatione cōtumeliæ vel iniuriæ illatæ: repellit, reuerberat iras nascētes. quod scilicet animo & corpori dolorem adferant, & voluptatē tollant. Videt ab iracūdia turbari animi pacem & tranquillitatē, ἀπαθεσιν. quare potius studet amabilem & humanum se præstare omnibus, dum viuit, & vitam quietam tranquillam (quantulacumque est) turbulentæ & furijs agitatæ præponit. Coniecturas & suspitiones iniuriæ illatæ repellit longe: nō sentit, aut dissimulat, extenuat, lenit. Totus diffunditur in vrbanitates, facetias, auocamenta: omnia in lusum, iocum, oblectamenta conuertit. Ne voluptas lædatur, remittit facile offendas, vel obliuiscitur, vel ad eas conniuet, & summa lenitate animi, obliuione, dissimulatione, & quibuscumq; modis potest, redimit voluptates corporis, animi etiam, sed propter corporis iucundā vitam. Cum voluptates dico, eas intelligo, quæ mininū molestiæ, doloris & cruciatus adferant: alioqui pro verè iucundis mellita venena amplecteretur: & quæ fortè corporis vel animi morbos & morsus accerserēt.

*Epicureus
quomodo
ire mede-
tur.*

S T O I C V S S A P I E N S ⁵⁹
non irascitur.

Post opinionem iniuriæ illatæ vix primum illum motum & animi agitationem effugere potest, ne Stoicus quidem. At motus ille animi posterior, qui ex iudicio nascitur, non cadit in Stoicum: cum sit via ad furorem. Stoicus vindicat, vlciscitur, iniuriam repellit, sed id facit aduocata ratione, non ira. Non putat viri fortis esse irasci, sed imbecillis & sui impotentis. Scelerati, vene fici, hostes, puniendi sane, sed sine ira, immutato animo & vultu, aut nō alio, quàm quo serpentes & venenata, & fera animalia percutimus.

Cum igitur ira sit morbus opinionis, nō naturæ, potest facile leuari, sedari, & abijci pro arbitrio, sic curari, ve ^l nascens impedi ri, & inhiberi eius impetus. quid enim opus est ira, ad vitionem, aut iniuriæ vindictam: cum ad melius agat ratio, animi robur, constantia, & virtus? An venator irascitur feris & apris, cum occidit. An non motus animi validiores, firmiores, qui nostro arbitrio & a ratione quam qui suo impetu, & rabie feruntur? alij affectus & pathemata, animos impellunt quidē, sed ira abducit, per-

*Stoicus non
irascitur.*

cellit. hæc haud secus quam fulmina vim suam præcipitat.

P E R I P A T E T I C V S Q V O.
modo iræ medeatur.

Seneca. In ira duæ sunt animi motiones: prior est subita animi agitatio inuoluntaria, primus ictus, qui nondū ira, sed ira incipiens. Quam motionem vix effugere licet etiam Stoicis. & difficile est hunc subitarium motum, anteuertere aut ratione impedire. Potest tamen consuetudo, & assidua obseruatio extenuare, & lenire, vel reuerberare. At posterior motus iracundiæ, qui fit mora, & deliberatione, est πάθημα passio, perpeſio, morbus, & ægritudo, si acrior, ferocior, effrænatiōr fuerit. Hæc etiam perturbatio in sapientem cadere potest, sed mitior: quæ ratione & iudicio excitatur. nec tamen sic agitur tempestate: vt a clauo rationis diu abducatur: nec sic exacerbatur ira, vt furenti malo seruiat: sed regitur magis, quam rapiat.

Irasci, excandescere, moueri, exacerbari animo, a primo ortu inditum est homini, *Tremere iracundiā,* *frenōque co-* quandiu in terris versatur. Sed horum pa-*pescere ho-* theinatum curatio in virtute, quæ clavum *minis est cor* rationis moderatur, locata est. Hæc benefi-*dati, & phi-*

cio philosophiæ docet, quomodo iræ & iracundiæ impetus inhibendi, refrænandi, compescendi. Circunscribenda multis ino-
 dis ira est. Ad primum iræ motum occur-
 rere cōuenit, & inhibere impetū, si queas: primus tamen iræ furor ac rabies vix cu-
 rationem admittit. surda enim & amens, nō
 audiens. Remedia in remissione iræ ac insaniæ prosunt: ubi deferbuit, & desæuijt tem-
 pestas. Quosdam placamus terrendo, insul-
 tando, obiurgando: alios pudor, alios pre-
 catio, alios adulatio placat, mitigat: omni-
 bus ferè præcipitis mali, & iracundię reme-
 dium, mora, & dies, ratio. Qui facile excan-
 descit, raro versetur cum superbis, aut pe-
 tulantibus, procacibus, proteruis, conten-
 tiosis, pugnacibus. Degat potius cum sim-
 plicibus, moderatis, facilibus, humanis, qui
 iram ipsi non euocent.

Optimum erit sic ratione, consuetudine,
 præceptis philosophiæ durare animum, ut
 nūquam commouearis. Et impetret ratio
 & prudentia, quod dies & tempus post im-
 petrabunt.

M E D I C I N A I R Æ ex theologia.

Cum Stoici & Epicurus censem iram

nunquam cadere in deos , nec in sapientes: si de symptomatis , vehementi agitatione, furore, & motibus alienis a ratione , quæ iratis sæpe contingunt, intelligent,fatemur: sin de vindicta,vltione,& motione mèntis, quæ a ratione & iudicio suscipiuntur, falli eos putamus. Nam sæpe legimus Deum iratum populo rebelli Israelitico , & Pharaoni , & prouocatum ad iram idolatria, murmuratione populi Israelitici. dum igitur literæ sacræ memorant Deum pœnitere, irasci, æmulari, zelotypia tangi: vt homines, captui nostro se accommodant. Nam Deus animaduertit, castigat, vlciscitur, non more hominum: sed videntur nobis effeta, velut irati. Tamen Lactantius, etiā mentis quandam commotionem Deo ascribit. Quod vero ad hominum iram attinet, est quædam bona & laudanda. vnde pij, & electi mouentur , indignantur, irascuntur sceleratis & flagitiosis hominibus. Ira enim, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, laudi datur. At ira, iracundia, quæ hominem rapit, & de statu rationis & constantia animalium percellit, compescenda est, sedanda, imò abijcienda, eique cedendum mansuetudine & lenitate , Romanorū 12. & Eph. 4. Et qui irascitur fratri verbo, aut nñtu si-

gnoque, occidit eum, Matth. 5. Efficax re-
medium aduersus iracundiam, meminisse
nihil esse tam muliebre ac animi imbecillis,
quam lætari vltione. Est sanè fortius gene-
rosiusque alienam stultitiam, ac iniuriam
contemnere & aspernari, quam imitari. Le-
nitate & tolerantia sanatur aliquādo is, qui
fecit iniuriam, & ad se reuertitur. Licebit
etiam cleuare alienam iniuriam hoc pacto.
Læsit quidem, sed puer est, rerum imperi-
tus, mulier, imprudens, alieno instinctu, po-
tus, temulentus. est igitur æquum ignosce-
re. Vis cum laude irasci? irascere vitio, cupi-
ditati, libidini, & alijs flagitijs. caue ne ali-
quid dicas, vel facias, iratus.

R E M E D I A M E D I C A

ad iram compescendam.

Medicus, in ira curanda, vtitur remedij
Stoicorum, Peripateticis, Epicureorum e-
tiam nonnumquam. At priuati intuetur
symptomata, quæ nascuntur ab iracundia,
vt febrem ephemera, quæ cito accendi- *Ira quibus-*
dam rum-
tur in picrocholo, & biliosis irascentibus. *pit venas in*
pulmone, a-
dein Synochum, vel putridam febrem, ali- *lys apople-*
quando hecticam, in calidis, siccis, videt san *xia adfert,*
guinem & spiritus a corde foras cieri, fieri *quibusdam*
& pulsus celeriores. Consyderat tempera- *mortem re-*
petinam.

mentum eius, qui irascitur, a commotione incalescere. Pro symptomatum magnitudine, & irati natura, & temperie, habituque, & viribus, rationem victus instituit plus minus, humidam, quietem animi & corporis, somnum longum, balneum aquæ dulcis. Medicus frangit iras, vacuans bilē, & adhibens cordi epithema humectans, roborās, refrigerans. Pythagoras & maiores, iram, animique ægritudines lyra, tibiarum modulatione, suauique concentu componebant. Mentes ægras, & iratas, studia læta, facetiæ, auocamenta iuuabunt. Quibusdam iratis, prodest aspicere speculum, ut videat sui imaginem atrocem, horridam, & a ratione, humanitateque alienam.

Q V I B V S R E M E D I I S

amores ponantur.

*Plato in
cœniis fa-
cit duas Ve-
teres, duas
Amores.* Non hic agitur de amore cœlesti & diuinio Platonis, cuius voluptas in contemplatione pulchri versatur, & est honesta, animo iucundissima, carens metu, molestia, & zelotypia.

*Vide Latinū.
Ciceronis.* Amor aliquādo, pro φιλίᾳ, amicitia, animalium coniunctione:

Amor nonnumquam, pro ἀγάπῃ, σοργῇ, dilectione, & benevolentia in liberos, parē-

tes, vxorem, necessarios.

Amor est aliquando *περιποίησις*, *πόθος*, cupiditas diuitiarum, opum, honorum, potentiae & gloriae, quae expetuntur ab bene beatique viuendum.

Hic agitur de eo amore, qui græcis *ἔρως* & sed saepius *φιλία*, *τρυματία*, latini^s amor, aut potius amores dicuntur. Arabum medicorum familia amorem hereos vocat.

Gignitur ex opinione pulchri, cum quo
cupitur iungi. Nam meta & scopus amo- *Fruendo
pulchritudinis desyderium.*
ris est, vniri cum amato. Est autem hæc per-
turbatio animi omnium violentissima, im-
pellens, rapiens voluntatem ad desyderium
pulchri. Pulchritudo est splendor & scin-
tilla diuini & cœlestis decoris, insita formæ
& cuticulæ eius, quæ amatur. Radius pul-
chritudinis trahit amantem per oculos, ani-
mi fenestras: & fauciat cæco igni, & demen-
tat: sic ut falsa pro veris accipiat: dum ama-
tam formosiorem, quam sit, existimat; &
eius vicia non agnoscit, aut extenuat.

Signa amoris crescentis, ardantis, impro-
bi, & impotentis, Pallor. Sanguis exhauri-
tur, vel bilescit a vigilijs, unde pallor & ma-
cies: Suspiria propter animi intentionem *Amoris
Signa.*
aliò peregrinantem: Perpetua, sed inanis &
inutilis Cogitatio. nam spectrum amatæ re-

currit assiduè. Fixis oculis & intente aspicit amator: importunè, ineptè laudat, quam amat: nec personæ nec officij rationem habet. Amor nihil recusat subire. Nihil graue, aut difficile sibi esse ait: & multa pollicetur.

Quicquid reuocat memoriam amicæ est iucundum, & gratum vt canis, famulus, Os- culâ, lachrymæ, iusiurandum, crebro venti- tare, affectari, deducere, reducere, basiatio summis labijs, Basium curiosum & affecta- tum, amplexus. occultiora prudens, pro- pter verecundiam, omitto. In rota amoris varia accidunt incommoda, iniuriæ, suspi- ciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax.

Scalam & gradationem amoris, vide in Luc. dialogo, cui titulus est ἐρως.

R E M E D I A , A C M E dela amorum.

*Medela a-
morum me
thodo Epi-
cureorum.* Cur quæso Epicurus, cum tantopere voluptates sectetur, amores, & venerem damnat? & nullius usus esse putat, ad vale- tuden tuendam? quod & Galenus anno- tavit in arte parua. An dicemus Epicurum collocare fœlicitatem in voluptate, non qualibet, sed vera: quæ scilicet perpetua sit, aut quæ plurimum habeat iucunditatis, doloris autem & tristitiae quam minimum? at

voluptas venerea, licet proprio ac suo quodam sensu iucundo ac prurienti afficere & titillare videantur: tamen ea voluptas est fugax & momentanea, & plus dolorum ac cruciatus adfert plerumque, quam iucunditatis. Nam voluptates illas (falso nomine voluptates dictas) quas amores & venus lignunt, plerunque comitantur lues Neapolitana, turpis miseraque senecta, tremor nervorum, animi dolor vel stupor. itaque Epicurus a sua felicitate amores rejecit, velut perturbatores tranquillitatis, & illius veræ voluptatis.

Stoicus cum videat amores, violentissimam affectionem, ex opinione pulchritudinis nasci, quæ illudit mentibus, & excusat animum amantis, sublata opinione, facile medetur amoribus. videt enim non conuenire sapienti, noctu diuque confabulari de nugis cum muliercula, & vltro se præbere ridendum: & è philosophiæ promptuario & a virtute multa promit remedia, quibus Sirenū illarum scopulos, & illectamenta, periculaque euadat. Stoicus dat operam liberis: viuit cum coniuge: sed virtus voluptati imperat. hanc sub se videt, & capistro alligat, ducitque.

Peripateticus, difficile putat, primo aspe-

ctu mulieris formosæ non tangi, & moueri
desyderio , ac imagine diuini decoris non
vri:at non sinit animum diutius hac pertur-
batione inquietius æstuare ac iactari. Cum
igitur videat in his, qui perdite amant,men-
tem emoueri, euagari, beneficio philo-
phiæ, ad se, tanquam a longa peregrinatio-
ne domum reuocato proponit , quā inde-
corum sit mancipium fieri mulierculæ, &
supplicem esse, regnū pati, aut potius tyran-
nidem fœminæ, & pallescere, macerari, vl-
tro se ridendum , pulsandum , spoliandum
præbere. Inter ista ridicula secum cogitat,
vbi animus generosus, vbi barba, vbi philo-
sophus. hac ratione frenat, coercet amores,
veneris internuncios, & redigit ad modum
& necessitatem generationis , vel ad usum
valetudinis. Perditos autem & ferocientes
amores, qui falsa pro veris ostentant, & tan-
quam aucupia animos multorum illaque-
ant, curat dicta methodo.

Quod si erit malum, pertinax, nec mor-
bi artificem admittet, vt plerisque accidit
Miseran- miserando fato, nec posse nec velle conua-
dum & fu-
gieudū re-
medium. lescere , extremo malo extremum reme-
dium reperit nescio quis apud Laert. in 6.
inediam, interualla temporum, atque adeò
infoelix suspendium. In quam sententiam

subit nobile epigramma Antimachi inter
græca selecta, quod latinè vertit Mar. Mo-
nerius aduocatus in Burd. curia, adolescens
(ne omnia referam) præstantissimi ingenij.
Quod eò libentius hic apposui, quām græ-
cum Antimachi, quia non facile græcis v-
tor, vbi domestica suppetunt, aut pari ve-
nustate, aut, vt in hoc, maiori. Id ergo huius-
modi est in lib. epigrammatum ipsius nu-
per edito.

„ *Hunc, si non fitis, & fames, furorem*
„ *Tollet postera, quæ sequetur ætas:*
„ *Sin horum pote nil domare, restis.*

M E D I C V S.

Consyderat ἔρπτα & amores tanquam
causam insalubrem: & quatenus corpus im-
mutant, aut noxam inferunt. Videt in amo-
ribus cor, sanguinem, & spiritus affici, pul-
sus mutari modo spe veneris fruendæ,
modo metu repulsæ, modo zelotypia,
Variæ & inæqualiter cor affici, modo con-
trahi, & modo spe dilatari. Animaduer-
tit in amoribus, præsertim diutinis, aut
immodico veneris vsu diu continuato,
corporis & animi vires frangi, corpus la-
xius, frigidius, imbecillus, siccus reddi.
Speciem & formæ venustatem amitti, va-
letudinem atteri, iuuentæ florem deuenu-

^{3. san. 10}
enda.

Amores &
Venus quid
agunt in
corpus.

stari, grauemque senectam accelerari. Medicus præter remedia, a philosophis petita, ipse sua etiam exhibit: instituit rationem victus humectatem, conciliat somnum. Nā vigiliae & ἀγρυπνία valdè lædunt amantes dum noctu diuque cogitant, & sunt toti in amata, & sibi somnia fingunt.

Medicus solatur animum amantis, auctoramentis & omni genere lusionum, animum aliō vertit, vt alea, fritillo, musica, rusticatione, venatione, nauigatione, longaque peregrinatione, aspectu rerū auocantium a cogitatione amatæ: vt tapetū varietate & nouitate, tabul. figuratis, spectaculis, fabellis, narrationibus festiuis, aut admirandis, laboribus etiam usque ad sudorem. In summa his, quæ traducunt ac transferūt mentem ad aliarum voluptatum usum, & iucunditatem, vel ad regenerationem, & nouationem spirituum & humorum. Confert etiam contrarium affectum in amante excitare, vt cupiditatem opum, honorum, aut metum, vel iram, donec animus nouo affectu occupatus, amoris obliuiscatur. Sobrietas, temperantia, & sonini moderationio sunt amuleta veneris, & amorum. Fuga etiam cauta & diligens occasionum, quæ sunt Sirenes periculosissimæ. vnde

*Remedia
libidinis
magis quā
amorum.*

Otia si tollas periere Cupidinis artes.

Castorum & integrorum colloquia & cōuersatio, lectio frequens & assidua historia-
rum, & literarum sacrarum. lege Ouidium,
de Remedio amoris, & Luciani postremos
dialogos. Remedia etiam discere licet ex
Terentio & Plauto.

Vides lector, quām longum esset, de o-
mnium perturbationum & ægritudinum
animæ animosæ causis, signis, singulatim
differere, & methodo philosophica, mēdi-
caque curationem conscribere. In quibus-
dam te exercuimus: vt in reliquis eadem fa-
cere possis, velut in zelotypia, metu, timo-
re, pauore, φόβῳ, Cōsternatione, conturba-
tione, exanimatione, desperatione, δειλίᾳ,
Spe, desyderio, expectatione, ἐλπίδι, πόθῳ,
ἀργσδοκίᾳ. Pudore, metu dedecoris, vere- αὐδώς
cundia, erubescientia, αὐτχύνῃ, Inuidia, φθό- φόβος
νῳ, Misericordia, quæ ἐλεος Gr̄cis, com- τῆς ἀ-
miseratio, & alienæ miseriæ sympathia, O- δοξί-
dio, ira inueterata & radicata. hi omnes af- ας.
fectus, præter vnam spem, Stoicis sunt vi- μῖσσας.
tiosi & pathemata opinione nata: Epicu-
reis etiam damnati, quia voluptatem & o-
tium beatum inturbant, imò a Peripate.
& medicis reijciuntur quia nullius sunt
vſus.

ANIMI ET MENTIS FA- CULTATES & FUNCTIONES PRÆCIPUÆ, SUNT INTELLECTUS, RATIO, IUDICIOUM, .

Intellectus, vel ut Ciceroni placet, intelligentia, dicitur græcis *διάνοια*, & est prima apprehensio eorum, quæ in ēti proponuntur, καὶ τερπτὴ τῇ νῷ δύναμις καὶ κίνησις. *διάνοια* est vis & facultas animi commentatrix. *διάνοια* & *νοῦς* pro eodem saepe ab Aristotle capiuntur: tamen propriè *διάνοια* est vis & facultas τῇ νῷ. *διάνοειδή* intelligere, commentari, animo versare, mentem commen-tatione agitare. *διάνοια* ήτος αὐτῷ homo valens intellectu & mente. τὰ νόητα, intellectu percepta. Quod oculus in corpore est, ingenium ἐν τῷ μέθηπλω. i. sensu cōmuni & animo: id intellectus est in mente.

Intellectus vel intelligentia agens est tanquam architectus quidam & fabricator *ἐργοίων*. i. conceptuum & notionum. hic singulas & individuas rerum imagines a sensu communi acceptas apprehendit, & ab omni materia nudas separat, & ex singularibus, vniuersales notiones effingit, & in illas incumbens voluit, versat, & aliud ex alio trahens multa comminiscitur, quæ sensus cōmuni agitare nullo modo potest. Nam

bruta ingenium habent, & quandam soler-
tiam, intellectu verò carent. Sensus igitur
est singularium, intellectus etiam est sub-
stantiarum vniuersarum: quæ reuera non
sunt, nisi in communione naturæ singula-
rum naturarum. Et intellectui vniuersalia
repræsentātur per notionem tanquam per
imaginem, quæ non magis est substantia
vniuersa, quam imago & spectrum rei sin-
gulæ. in sensu communi est res ea, cuius est
imago.

Intelligentia est dux viæ, mentis acies,
lux animi, quæ prælucet studiosis ad veri
inquisitionem, & velut manus quædā mer-
curialis, indicans quo & qua eundum sit,
ad artium omnium, & disciplinarum ency-
clopediam consequendam. Nam ad ratio-
cinandum, iudicandum, differendum, com-
mentandum, opus est rei intelligentia, quæ
fit mentis apertio, intuitu, appulsu. hæc
mentis apertio, dicitur animaduersio, atten-
tio animi, collimatio, grecè ἀγοραχὴ τὸν.
Qua gaudet intellectus versari circa veri
inquisitionem. falsum enim illi odiosum, fal-
tem quatenus falsum. Nam maxime dele-
ctatur speculazione & cognitione causarū,
rerum naturalium, rerum magnarum, & di-
uinarum, rerum mirabilium & a paucis co-

gnitarum, herbarum, stirpium, animalium,
historiarum, animalium, Intellectus, Ratio,
Iudicium, nec annis, nec senecta atterun-
tur, aut senescunt, immo acuuntur ac prosi-
ciunt aetate: vnde senes prudetissimi, etiam
si obliuiosi euadant, & ingenium retunda-
tur & hebescat. quod scilicet haec sint fun-
ctiones non mentis, sed *τέλη τινάς*. Aristo
teles nullam facultatem a morte remanere
in anima, preter intellectum, scribit. Theo-
logi tamen, & fides nostra alias functiones
angelis, & animis etiam a morte conce-
dunt, ut voluntatem. Differentiae intelle-
ctus sequuntur ferè differentias & varietates

Tot differētiae intellec-
tus, quot hominum capita, aut verius tem-
pamenta. sunt tamen qui etiā ab ipsa creatio-
ne animo-rum intellec-
tum taci tas differen-
tias ponūt. ingeniorum. Nam intellectum alij sunt
perspicaces, citi, agiles, veloci, prompti,
capaces, sagaces, magni, expediti: alij im-
becilliores, rudiores, ignavi, infelices, con-
tracti, obscuri, tardi, in quibus *ωροσχήματα*, &
attentio hebetior.

Vide suo loco, causas varietatum inge-
niorum, & huc transferas:

vel Diminutè & ignauiter intelligit. Et huius imbecillis intelligentiæ tardiorisque mille sunt species. Nam inter intellectus cæcutientes, & hebetiores, alij alijs caligant obscurius. Socrates apud Platonem, ait humanum intellectum debiliter, & pauca scire, respectu eorum, quæ non intelligit. Aristoteles in metaphysicis, Nullam rem perfectè & penitus intelligi posse ab homine, sed omnes cæcutire in rerum magnarum præsertim, cognitione, ὡς γὰρ τὸν νικηφόρον ὅμματα περὶ τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὐ τῷ νοῇ τῆς ἡμέρας ψυχῆς ὁ νοῦς, τὰς τὰ τῇ φύσει φανεράτα. Theologi putant tenebras ac caliginem intellectui humano offundi, ne intelligat, ac verum in rebus videat, ob peccatum originis. Plato vero ob corporis, cui immergitur, impuritatem. Medici in vitium temperamenti, vel conformatioonis capitis, vel grauem exrementorum sentinam referunt.

vel Errat, & fallitur, in causis rerum cognoscendis.

Causæ erroris, & delirij intellectus sunt multæ, Vitium in cerebro, & humoribus,

de quib.infra, Mala institutio. vnde in quilibet disciplina, se^ctæ, quæ deprauant ingenia.hinc Stoicorum, & Epicureorum , aliarumque se^ctarum errores,in veri cognitio- ne vt de mundi creatione , de animi natura, de finibus bonorum & malorum.Hinc etiā hæreses variæ in religione , & quæcunque abducunt & abstrahunt intellectum ab at-tentione,ad veri inquisitionem.

vel

Aboletur vt in *ἀρνα*, fatuitate: cum in re- rum causis, ac vero inquirendo , intellectus nihilo magis intelligit, quam bellua. idque contingere potest aliquando a primo ortu, aliquando ex accidenti post ortum. Causæ & curatio infra dicentur.

R A T I O, A L T E R A facultas mentis.

Ratio,quæ Græcis dicitur λόγος, τὸ λόγι- κὸν ἢ τὸ λογιστικὸν,est facultas & vis mētis ra-tiocinatrix , quæ hominem a cæteris ani-mantibus maxime distinguit. λόγος , vox homonyma ad plura significata. Nam λό- γος apud dialecticos,est syllogismus , apud Theologos, verbum, sermo,Dei sapientia. οἱ λόγοι studia literarum , disciplinæ libera- les,Budæo: οἱ λόγοι fabulæ,verba.Hic verò λόγον sumimus pro vi & facultate ratioci-

natrice. Hæc ratio imagines & formas rerum & notiones ab ingenio, & intellectu acceptas, considerat, confert, æstimat, estimat, discurrit, reputat secum.

Ratio decus & perfectio est hominis, quæ ei data est ad veri scrutinium, peruestigationem, cognitionemque: quam nititur, assequi vtens coniecturis, & argumentis ductis a locis, in quibus latent ista omnia veri inquirendi & fidei faciendæ instrumenta. & hinc syllogismi, demonstrationes, aliæque argumētandi formulæ. Miror Plutarchū, qui in eo libello, in quo Vlyssem cum Circe & Gryllo loquētem facit, contendat rationem brutis inesse. Sed si legas, videbis quam frigidis argumentis & philosopho indignis vtatur. Gryllus enim iocularibus quibusdam comparationibus, & populari elusione diluit argumēta Vlyssis: & tandem nihil aliud colligit quam beluis ingenium, vim, aut solertiam a rerum opifice datam ad se tuendum conseruandumque: vt in araneis mirificam texturam, in apibus mellis & fauorum artificium, & in reliquis multa similia humanæ industriæ. Quam si rationem vocas, nihil obstat quin plantis & lapidibus (quorum mirandi sunt effectus) rationem inesse dicas, fatemur sa-

ne illa omnia fieri & manare a ratione, non quæ sit in brutis aut plantis, sed in natura aut potius authore naturæ, in qua eluent, & se exerunt diuinæ rationis vestigia, homini verò soli, ἐξωθεν καὶ θεοθεν accessit mens ratione ac diuinis qualitatib. ornata.

Ratio discurrit, a singularibus ad vniuersalia, ab effectis ad causas, a manifestis ad abstractis, a certis, ad incertorum & abditorum cognitionem, ab aliquo, in aliud transitum facit, ex alijs, alia atque alia longo discursu colligit.

Rationis duo sunt præcipua munia, distinguere verum a falso, discernere bonum a malo.

Ratio non est eadem in omnibus. nā in

Quibusdam est	{	<i>valida,</i>	cuius discursus, & rationatio impedita, hæsi tabunda, infelix.
		<i>firma,</i>	
		<i>constans,</i>	
		<i>certa,</i>	
		<i>recta,</i>	
Quibusdam	{	<i>Imbecillis</i>	
		<i>incerta,</i>	
		<i>infirma,</i>	
		<i>impedita,</i>	
		<i>tarda,</i>	
		<i>rudior,</i>	

C A V S Æ R A T I O N I S

certæ, firmæ, & boni discursus.

Temperies cerebri moderata, Temperies cerebri etiam paulò siccior, in alia oppositione temperata, Capitis conformatio elegans & cōcinna, Institutio a bono præceptore data, Cōsuetudo, Conuictus, Colloquia, cum cordatis hominibus, fortè etiā priuata & abdita mentis præstantia, hæc omnia efficiunt rationem rectam, firmam, validam, constantem, expendentem, placidam, quietam, solidam, perfectam, sagacem, exercitataam. Ratio trifariam læditur.

Nam aboletur omnino & extinguitur, Debilitatur, imminuitur, Deprauatur, & delirat. Causas læsionis & remedia infra dicemus.

D E I V D I C I O, T E R-

tia facultate mentis.

Iudicium pars aut facultas est animi rerum æstimatrix & arbitra, Græcis θύμης κρῖτικη, & κρίτις dicitur. Plutarchus in Platonicis quæstionibus κρῖτήριον vocat, vbi ait quatuor a Deo data esse homini κρῖτίρια, quæ sunt ἡ νοῦς τελ' ῥοῆταλν, διάνοια τελ' μαθηματικαλν, τοίσις τελ' αἰσθητικαλν, εἰγασία τελ' εἰκόνων, ηγήτελν περὶ τὰ εἰδῶλα.

Iudicium vis est mentis nobilissima, quam suam celsitudinem, ac dignitatem agnoscit. quid sit in quaque re verum aut falsum, dijudicat.

Hæc est censura, norma, amissio, que approbat vel improbat rationis discursum: dijudicat totius ratiocinationis, & scrutationis per argumentationes factæ clausulam.

Ratio igitur scrutatur, inquirit, discurrit, & ex locis argumenta dicit. Dein censura & iudicium æstimat, & iudicat quid collendum de re proposita. Iudiciorum magna est varietas.

Alia enim funt.	<i>Sana, recta, solida, firma, bona, viuida, acria, vegeta, magna, experta, matura.</i>	<i>Quæ aptè circunspiciunt, quid ex quo nascatur, quid cuig, consequens, quid alienum, quid repugnans, quid consentaneum.</i>
Alia vero.	<i>Mala, imbecillia, incerta, infirma, inexperta,</i>	<i>hæc de rebus propositis dubiè, ambiguè, hesita- bundè, ἀμφισβόλως, & in- certè iudicant.</i>

Hippocrates in primo aphorismo scripsit, *κρίσιν εἶναι χαλεπών* iudicium difficile. Nam in morborum, & causarum cognitio-

ne : in signis & prognosticis , non facile re-
cta collimare ad scopum : in therapeutice,
& curatione morborum, non est facile de-
cernere & iudicare, quæ sint facienda. Nec
auxiliorum, facilis est vera dijunctio.

Dum cōsilia initur a Medicis, & apud
ægros illi consultant de agendis, an mitten-
dus sanguis? an medicamentum dandum?
an potius totum negotium naturæ cōmit-
tendum? Iudicium difficile.

An morbus sit finiendus crisi? an coctio-
ne paulatim? an potius medicamento tol-
lendus? Difficile iudicium. Proinde fano,
solido , firmoque iudicio , nihil in homīne
perfectius , nihil optatius ad vitam benè
beatēque degendam,& ad disciplinas con-
sequendas. Hoc enim iudicio ingenia ma-
xima & præstantissima distant ab infimis:
hoc mentes preclaræ antecellunt vulgari-
bus. Multi rerum plurimarum cognitione
& scientia multiplici valent. Plurimi subti-
liter & acutè & accurratè ratiocinantur &
discurrunt: sed tandem vel malè vel ambi-
guè, aut præposterè iudicant: fallunturque
in veri cēsura ac veritatis quæsitæ scopo at-
tingendo. In summa de rebus omnibus in-
corruptè, solidè & rectè iudicare, est homi-
nis sapientissimi & fœlicissimi. Nam a iudi-

cio & vsu oritur prudentia, quæ est moderatrix vitæ. degendæ. Nam prudentia, sapientia, consultatio, deliberatio, sunt asseclæ, & coenites iudicij, boni & solidi, aduocata tamen ratione.

Iudicium trifariam læditur.

Aboletur enim, Debilitatur, Delirat,
& fallitur.

Aboletur, ut in *avocia* fatuitate, cum scilicet de rebus propositis nihilo magis iudicat, & decernit, quam brutum: idque contingit quibusdam a primo ortu, alijs ex accidenti. Causæ & remedia, mox dicentur.

Debilitatur, cum imperfetè, incertè, hæsitabundè, ambiguè, iudicat & colligit. Hinc quotidie videmus hominum iudicia, ignava, imbecilla, nulla, inexpedita, rudia, hæsitantia, cunctabunda, ambigua, vaga, nihil decernentia.

Deprauatè iudicat, fallitur, & errat: dum ratio discurrendo aliud consulit: iudicium verò aliud decernit, aliud pro alio colligit: cōcludit falsum pro vero, deterius pro meliori: præposterum pro recto, sequitur.

Cum vilia existimat pretiosa: aut pretiosa & eximia, iudicat nihili.

Hæc deliria non sunt, symptomata Cum diuitias putat esse, quæ verè non sunt, sed impedimenta potius, & onera.

Cum vitia, & turpia, iudicat esse virtutes, ac τὸ τρέπετον.

*tum morbi
corporis, sed
animi ma-
lè instituti.*

Cum vestimenta pretiosa non in usum, sed ad ostentationem, oculis spectantium exponuntur.

C A V S Ā N O X A R V M, E T symptomatum Intellectus, Ra- tionis, Iudicij.

Hæ tres mentis facultates non semper ab ipsisdem causis laeduntur, aut iuuantur: nec qui pollet vi intelligendi, semper valet ratione: nec qui belle ratiocinatur, perpetuò rectè iudicat. Videmus enim plerosque ingenio esse acuto, intellectuque perspicaci, qui præpostere de rebus ac inceptissime iudicent. Quorum causæ dictæ sunt in methodo memoriæ iuuandæ. fit tamen sæpe ut vna abolita, aut deprauata, aliæ quoque laedantur.

Sitres simul abolentur, fit illa Græcis dicta ἄρνα amentia, quæ etiam dicitur mentis cæcitas & priuatio, mētis inopia, caretiaque, fatuitas, stoliditas, qua qui laborat, dicitur ἄρνης, amens, brutum, bellua, lapis, saxum, stipes, asinus, insipiens, nihili homo, nauci homo; quod in eo mens non magis moueatur, quā in bruto, in quo nulla mens.

*Formula
loquendi quis
bus amentia signifi-
catur.*

*A mēte di-
scendere, mē-
te emota
esse, de mēte
deīci, a mē-
te deseri, mē-
te captū ef-
fē, emen-
tari.*

Causæ *avoiæ* & amentiæ ac fatuitatis, sunt hæ caput oblongius ac valdè com-
φοξὸς pressum, vnde *φοξόι* habentes caput lon-
ὴν νε- gum acuminatum, vertice fastigiato, parū
φαλήν. valere mēte creduntur, vt Thersites, qui, si
iliad.^{2.}

Homero credimus, erat ineptissimæ men-
 tis. Tamen Pericles, cum in foro diceret,
Si Quinti- liano credi-

non orare sed fulgurare visus est, licet *φο-*
ξὸς & acuminatiore capite fuisse dicatur.

Et in Burdigalensi senatu, visus est mihi qui
φοξόι aliqui men-
tis ac inge- dam patronus acutissimo ingenio, ac diser-
ny acutissi- tissimus, qui tamen *φοξὸς*, oblongiore, acu-
mi minatioreque esset capite.

Caput paruum, pusillum, quale est mo-
si avoiæ rionibus, quibus delectantur Magnates &
fit vitio ori- Principes. In his enim est penuria cerebri,
ginis, & vi- & spiritus animalis.
tio confor-

mationis, *nō curatur.* Caput multo maius, quam pro analogia
 & ratione aliarum partium. arguit enim ma-
 teriæ redundantiam potius, quam virtutis
 robur.

Caput sine eminentia & tubere, in oc-
 cipitio, & fronte. signum enim paucæ sub-
 stantiæ cerebri, vel imbecillitatis formatri-
 cis capitis.

Crisis grauissimorum morborum, mul-
 tos stupidos & amentes reddit. vide, in me-
 thodo iuuandæ memoriæ, de Trapezūtio,

& alijs, apud Thucididem.

Ictus, casus, vulnus capitis. ab his enim saepe ossa cranij finduntur, franguntur: spiritus turbantur: humores & membranæ inflammatur: partes loco mouentur: vnde amentia.

Temulentia assidua, & diu continuata hebetat, & dementat.

Amores ἔρως, zelotypia, somnum, & libum tollendo, plerosque dementarunt.

Bonorum & fortunarum amissio: praesertim si ratio sit imbecillior, aut melancholiæ morbum aut ἄνοια adfert.

Sene^ctus extrema & decrepita, bis pueros reddit senes, & ἄνοις.

In lipothymia, syncope, apoplexia, epilepsia paroxysmo, caro, comate, lethargo, catalepsi, soporosisq; alijs affectibus, metis facultates, vel abolentur, vel debilitantur, vel ad tempus cessant, intermittunturque.

Nam frigiditas intensa, sola, vel cum humore, functiones torpidas, stupidas, ignavias reddit: aliquando abolet, caliditas autem deprauat Gal.

DIMINVNTVR supradictæ metis functiones, & hebescūt, obscurātur, obnubilātur, Debilitantur, ἀμελέυσθαι, ἀμεγοῦσθαι: cum debiliter, ignauè, diminutè obeuntur.

Tunc fit μωρία, μώρωσις, stultitia potius, quàm fatuitas. multi enim stulti, qui non sint fatui. Afranius se stultum, non fatuum esse putat. Ignauia, & hebetudo mentis, ἀμεντεπία τῆς νοῦ.

Huius μωρίας & stultitiae mille sunt modi & species. abea namque dicuntur semi-
Si tales fiāt a prima ori gine, diffici- le curatur, sin ex acci- denti leua- ri possunt nonnūquā, fatui, μωροί, βλάχες, καὶ βλάχοι, εὐήθεις, im- prudentes, mente imbecilles, stulti, insulsi, improuidi, insipidi, blitei, inconsiderati, hebetes, obtusi, indociles, tardi, rudes, fo- cordes, stupidi, subrustici, inepti ad omnia, semiamenti, caliga Maximini.

Causae diminutarum & imbecillium harum functionum sunt eadem cum causis ἀνοίας & amentiæ, sed minores & leuiores. ex illis, facile has cognosces.

D E P R A V A T A R V M functionum mentis Sympto- mata dicuntur

Cum intel- lectus, ratio iudicium falluntur & errant. Delirium, furor, mens furiata, desipientia, insania, mentis emotio cum ratione de- prauata, mentis alienatio, præpostera ratio- cinatio, παραφροσεών, παρεγνοία, mētis error.

Delirantes dicuntur a Græcis ληρεῖν, ηγῆ ληρῆσαι, παρενεχθῆναι, mente ferri, rapi, παρεκόψαι, mente mutilari, percelli, ἐκτινῶαι,

mente emoueri, *ἐνυπερβολῇ*, furere, insanire.

Delirantium & desipientium multe sunt
differentiæ. *Delirantium
differentia
& Gradus.*

Quibusdam mens in falsa & fictitia tan-
tum rapitur, & traducitur.

Alijs intellectus aut ratio vifis & spe-
& tris mendacibus iactatur.

Alij etiam verbo & sermone petulanti,
contumelioso, delirium exprimunt. cum
scilicet iudicio deprauato multa absurdæ,
& a ratione alienissima garriunt, & oblo-
quuntur.

Pessimum illud delirium, cum post ve-
fanas cogitationes, & verborum inanes ri-
diculos, insultos, inconsyderatos strepitus,
manu etiam, dentibus, aut rabido aliquo,
funestoque facto delirium exprimit.

C A V S Æ D E L I R I I intellec̄tus, rationis, iudicij.

Intemperies cerebri immodicè calida.
Nam calor auctior functiones deprauat,
frigiditas abolet, vel diminuit, Galenus.

Vapores feruidi, acres, mordaces si a vi-
sceribus mittuntur ad cerebri substantiam,
ad membranas & ventriculos, quorum
appulsi & agitatione, functiones mentis
deprauantur, præsertim ratio, & iudicium.

Febres ardentes: in vigore præsertim, calore scilicet & vaporibus missis ad cerebrum, παραφεγούλω accersunt.

Ebrietas deprauat omnes functiones animæ sentientis & mentis. Nam ebrij credunt se gemina videre, & putant omnia circumagi. Nec minus intellectus, ratio, & iudicium hallucinantur. Quæ omnia fieri credimus a vapore calidiore, replēte & feriente cerebrum & meningas.

Inanitio ac defectus sanguinis αὐθεόως & confertim vacuati, ut testatur Hipp. 7. aphoris. de delirio a largo profluvio sanguinis.

Vigiliæ immoderatae adferunt aliquando delirium ratione siccitatis: vel quia in longis vigilijs, sanguis biliosor redditur, 7. aphoris.

Inedia longa in picrocholis, gracilibus, iracundis, stomachicis. Quibus os ventriculi sensile, imbecillum, sæpe adfert suffusiones oculorum, vel desipientiam.

Bilia flava, auctior, & atra, iudicium deprauant. Capitis ictus, fractura, præcisio sæpe adfert delirium. vnde Hippoc. In capitis ictu desipientia malum, confusis scilicet & turbatis humoribus, & spiritibus, aut partibus cerebri compressis aut commotis.

Meningum cerebri vulnus, vel inflam-

matio, vel phrenitidem, vel παραφροσώπω infert.

Hemorrhoides suppressæ. vnde vapor vistus, teter ad cerebrum elatus sæpe melancholiā vel furorem adfert.

In summa Intellectus, Ratio, Iudicium, errant, & delirant. quia per sympathiam, compatiuntur, cerebro affecto, humoribus vitiosis, calidioribus, vaporibus & spiritibus τὸ αἰδητήκον, tanquam instrumentis.

Nam morbi cerebri, vt intemperies, solutio continui, mala conformatio, vitium humorum, & spirituum afficiunt primo rō τὸ αἰδητήκον, secundario verò, & κατὰ δεύτερη λόγον, mentem & eius functiones.

Porrò Delirium, aliud cum febre, aliquando cum risu, cum studio, cum stridore dentium.

Aliud sine febre. hoc bifariam fit: vel est simplex sine febre, sine melancholia, ex causis supr. dictis, vt fluxu sanguinis, &c. vel melancholicus. de quo abunde, in cōmentario nostro, de melancholia morbo.

C V R A T I O A M E N T I ĀE, Stultitiæ, Delirij.

Vt variæ sunt causæ, horum mentis vi-

tiorum:ita varijs remedij pugnandum, & contraria contrarijs sunt opponenda.Nam si stoliditas , aut stultitia,aut delirium , desipientiaque hominem a primo ortu occupauerit,frustra remedia paras.

Sia mala conformatio[n]e vitium cœpit, immedicable malum.

Si Crisis ἀνοια, fatuitatem attulerit, frequentius non curatur; aliquando tamē, sed ægrè, tollitur.

Si ab ictu, vulnera capitis, dementia, aut delirium acciderit, vulnera & fractura curatis, mentis symptoma tollitur ὁσπιτο-
πλεῖστον.

Temulentia inueterata,dementans , difficilè curatur : quia consuetudo transiit in naturam:potest tamen ex parte leuari temperantia,& mutato victu.

Si amores,zelotypia, moeror , luctus, & huiusmodi validæ perturbationes mentem auferant,adeunda philosophia,nonnunquā etiam & medicina. vide supra de leuandis animi perturbationibus.

Si ἀνοια & fatuitas sit a decrepita ætate, malum desperatum. Silicernia enim ἀνα-
νησιοῦσθαι.

Sia lipothymia, Syncope,apoplexia, caro,comate, altisque alijs soporibus mentis

facultates abolentur , & ad tempus inter-
mittuntur , morbo curatq , Symptomata
ferè conquiescunt.

C V R A T I O F V N C T I O-
num mentis læfarum a frigidis
humoribus.

Si intemperies frigidior, humidior, cum
larga copia humorum, cerebrum occupa-
rit : aut caput sit onustum exremētis, craf-
sis, pituitosis, vitiosis, quæ hebetent, aut de-
prauent intellectum, rationem, iudicium:
attenuandi & præparandi humores, deco-
cto betonicæ, saluiæ, maioranæ, hyssopi,
pulegij, florum strechad. anthos, Semi-
nū anisi feniculi: Decoctioni adde syr. stœ-
chad. vnc. 2. Mell. anth. vnc. 1. Oximel. scill.
vnc. 2. sacch. quāt. suff. Fiat apozema clarif.
aromatiz. cum cinnamomi drag. sem. Do-
sis vnc. 4. sumet eandem dosin 4. matutinis.
Si herbæ non sint ad manum, Recip. syr. &
oxim. scil. ana vnc. 1. aquarum saluiæ, maio-
ranæ, betonicæ vnc. 1. aromatisetur cum
cinnamomi, cubebarum ana scrup. 1. fiat
Iulep. pro vna dosi. Continuetur tribus ma-
tutinis. Licebit etiam attenuare dictum hu-
morem iusculis, quibus incoixerint maiora-
na, pulegium, thymum, serpyllum, petro-

*Cura intel-
lectus & iu-
dicy imbe-
cillorū, ab
frigidū hu-
midū suc-
cis.*

sel. cum pullo, aut veruecina. Humore at-
tenuato, corpus vniuersum purgetur pilu-
lis coccij,

De Agaco,
Aggregatiuis,
Elephanginis vocatis.

Si non possit vti pilulis, purgetur apo-
zemate φλεγμαγωλω, vel bolo ex diaphœ-
nico, vel potionē ex infusionē agarici, cū
diaphœnico, & syr. rosar.lax.dissolutis in a-
qua betonicæ, maioranæ, vel saluiæ. Dein-
de vtendum firmantibus, & exsiccantibus
cerebrum & caput, sumendis & admo-
uendis.

*Hic utendū
ieiuno slo-
macho & a
œna, prefer-
tim in pitui
toſus.* In sumendis numerantur Condita, cor-
tex citri, cortex arantiæ, nux myristica re-
cens condita, myrobalani conditi, Con-
feruæ anthos, ſtœchados, faluiæ.

Pleraq; alia remedia, vt Opiatæ, Tabel-
læ, Antidota, Pulueres cephalici, & stomac-
chici, Erihina, Cucuffæ, lotiones capitis, lo-
tiones pedum petenda ex scriptis ad me-
moriā iuuandam, ad cephalalgiam pitui-
tosam, ad comitiales, ad soporofos affe-
ctus, ad lethargum. Hæc enim siccant, fir-
mantque cerebrum: illustrant, recreant spi-
ritus : roborant ſtomachum.

Q V I B V S M O D I S I V V E N-
tur Intellectus, Ratio, Iudicium, si debi-
litentur & labascent ab inanitione.

Vt a longis vigilijs, quod s̄æpe contingit
philomusis, qui nullam suis studijs quietem
intermittunt, qui immodico studio defor-
mi macie atteruntur, impallescunt, & libris
immoriuntur. Et post longas inedias & te-
nuem victum. hæc enim adolescentibus &
bilioſis aduersissima. Post animi pathemata
longa, violenta. hæc enim s̄æpe nonnullis
intellectum & rationem sustulerūt, vt post
amores, zelotypiam, luctum, mœrorem.

Tunc alia methodo, alijs auxilijs vtendum
ad instaurationem facultatum mentis abo-
litarum, aut fatiscentium. Ratio vietus sit
plenior, humectans, vires reparans. Alimen-
ta sint boni succi, qualis vitulina, hoedina,
capi, pulli, pisces, εὐχυμεῖ: vt solea, afellus,
rhombus, lucius, lupus, & alij faxatiles.
Quærant animi laxamenta, auocamenta.
Auertant animum a rebus serijs, a studijs
grauioribus, vt iure ciuili, a philosophia se-
ueriori: & oblectentur leuioribus, iucundio-
ribus. Exhilarabunt animum, & spiritus, a-
mænis spectaculis, rusticatione, musica, har-
monia, concentu: delectetur longa quiete,

*Medela no-
xarum mē-
tis & intel-
lectus ab in-
anitione.*

*Per hac e-
nīm, plerig-
a mente di-
scēferunt,
intellectus
deserti in
rationis &
Iudicij ina-
piam sunt
delapsi.*

otio , somno longiore , his quæ spiritus lætos , & iucundos gignant.

Caput humectabitur, recreabitur, lotione capitis , & illitu oleorum , dictis in methodo memoriae iuuandæ . Nec inutile fuerit balneum aquæ dulcis , quale præscribitur hecticis , & marcore tabescentibus.

Q V Æ V S V E T E X P E
rimentis obseruata sunt conferre , intellectui, rationique & iudicio.

Etsi vis intelligendi suis priuatim remedijs iuuetur & acuatur : Ratio suis proprijs firmetur : Iudiciumque suis quoque roboretur & maturetur : sunt tamen omnibus quædam communia, quæ propter facultatum sympathiam & cognitionem , omnia communi ratione iuuant corroborant, vt *Cura vale- studinis capi- tū.* cura & studium valetudinis capitis . Est enim arx & Regia intellectus , rationis , & iudicij.

Danda igitur opera , ne caput oneretur excrementis, præsertim pituitosis , frigidis, *Siccitas ce- rebri medio eris.* crassis: Cerebrum caputque siccatur, moderatè tamen , & magis excrementsa vacando, quam substantiam partium solidarum siccando. Nam Heraclito siccitas cerebri, intellectui & rationi splendorem, pru-

dentiam, iudicium, & sapientiam adfert,
Galenoste.

Admiratio, θαυμασμὸς rerum pulchra-^{Admira-}
rum excitat ingenium, & intellectū. Si quid
enim admiramur, id scire & intelligere op-
tamus: & huius rei gratia, ingenium, & in-
tellectus acuuntur, ut illuc tendant & fe-
rantur.

Honor & veneratio disciplinæ alicuius.^{Honor.}
Nam quisque ferè se tradit ac mancipat,
studio eius artis, quam in pretio esse videt,
& quæ gradus facit ad diuitias & honores.
Sic ius ciuale Tholosæ & Patauij, Medici-
na in academia Monspeliensi, & Lutetiæ.
Olim Athenis & Romæ eloquentia dum
florebant, intellectum multorum mirificè
acuebant, & augebant.

Præceptor eruditus, & facilis, qui sit ver-^{Præceptor.}
satus in omni genere disciplinarum audi-
torum intellectum mouet & acuit, modo
sit ingenio subtili iudicioque fano, & qui fa-
cile, intelligenterque doceat: Labor, Sedu-^{Labor &}
litas, Studium, Meditatio, sunt veluti ἀνόραται
& coticulæ, ad quas intellectus & iudicium
acuuntur, expoliuntur.

<i>Conuictus,</i>	{	cum	<i>eruditis,</i>	{	Intellectum ac-
<i>Cōuersatio,</i>			<i>prudentibus,</i>		
<i>Cōsuetudo,</i>			<i>consultis,</i>		
<i>Colloquia.</i>			<i>solertibus,</i>		
			<i>cordatis,</i>		
			<i>sapientibus,</i>		
			<i>subtiliter</i>		
			<i>ratiocinantibus,</i>		
			<i>Philosophis,</i>		

Intelle&ctum ac-
cuunt & exer-
cent:
Rationem fir-
mant:
Iudicium robo-
rant, perficiunt.

Præmium laboris. Præmia laborum, & studiorum stimu-
lant, & acuunt ingenium & intellectum, vt
Honos. hic enim alit artes. hinc, olim viris
in arte aliqua excellentibus statuæ erectæ,
vt Virgilio, Demostheni, Hippocrati, Iso-
crati, & multum honoris delatum Platoni,
a Dionysio Sicilię rege: Possidonio, a Pom-
peio: Virgilio ab Augusto: Hippocrati, a
tota græcia & rege Persarum: Aristoteli, ab
Alexandro: Enniō a Scipione Aphricano.
Ethodie gradus in Academijs, pro erudi-
tione & profectu conferuntur.

Stipendia. Stipendia, & salario magna inuitabant
ad studia, & calcar ingenijs addebant, non
magis tamen, quam priuilegia disciplinarū
professoribus decreta.

*Cupiditas veri inueniendi, inueni-
versi inueniendi.* Cupiditas veri inueniendi, ingenium, in-
tellectum, & omnes mētis functiones ciet
& stimulat. Nihil enim magis decet homi-
nem, quam scire, intelligere.

Principes. Principum enim, vt quisque ^{Principis}
arte aliqua oblectatur, ita subiecti in ea se ^{studium &}
^{oblectatio.} exercent, vt

Sub Alexandro, militia in honore:

Sub Augusto, plurimi poetæ:

Sub Nerone, magia, musica, histrionica:

Sub Francisco Galliarum rege literæ
humaniores.

Zῆλος, αὐτιζηλία, æmulatio studiorum al- ^{Æmulat-}
terius, excitat intellectum, ingeniumque ^{tio.} acuit.

Sic legimus Temistoclem è somno sæ-
pe suscitatum trophæis Miltiadis:

Et opera antelucana artificum extimu-
lasse Demosthenem ad eloquentiæ studiū.

Homeri ilias, Hesiodi ἔργα καὶ ιμέραι,
Theocriti εἰδύλλια, stimulus addiderunt
Virgilio, vt conscriberet Bucolica Geor-
gica, & Æneidem.

Venter & necessitas excitant ingenium
& intellectum. hinc illud Persij,

*Magister artis ingenij largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi:
Coruos poetas & poetridas picas
Cantare credas Pegaseum melos.*

R A T I O V I C T V S

φιλομάθων, & literarum stu-
dijs incumbentium.

Athletæ, pugiles, luctatores, milites, student *τῇ εὐεξίᾳ* optimo corporis habitui, artuumque robori, ac corpulentia, quare illis utendum larga ciborum comedione, cibisque valentissimæ materiæ: vt bubula, porcina, leguminibus, farre, frumentaceis, oryza, cætaceis piscibus. At literarum cupidi & studiosi magis student animi & mentis valetudini, quam athleticis viribus sibi comparandis. Proinde aliter vti debet causis salubribus, diuersaque victus ratione, sic tamen ut etiam curam habeant sanitatis, & firmitatis corporis, ad ingenij mentisque functiones perfectiores assequendas: & quan non solum benè beatéque, sed & longissimè vitam producant: integrisque sensibus, ac mente firma ad extremam usque senectam degant. Porrò cum numerosæ sint studiosorum naturæ ac temperamenta, variæque constitutiones, suam cuique victus formulam particulatim scribi oporteret. Quod cū difficile & longum esse videam: nunc satis fuerit communem quandam viuendi rationem proposuisse: quæ omnibus accommodari, & ex usu esse possit, si pau-

*Sur cuig
est ratio vi
et. s. san.
euende.*

cula mutes, addas, aut detrahas. Itaq; scien-
 tiæ ac bonarum disciplinarum auidus, ma-
 ne experctus, cōcoctione perfecta, tuto
 surget, vt bonarum literarū studijs incum-
 bat. Tempus enim aptissimum studijs lite-
 rarum horæ sunt antelucanæ, aurora, & Sol
 oriens. Tum enim cerebrum a vaporibus
 est liberum ac defæcatum: & his horis om-
 nia conquiescunt. vnde musæ magis propi-
 tiæ. Sunt qui priusquam lecto surgant, cor-
 pus vniuersum curant perfricari manu blā-
 da, sua vel famuli, & linteo aut panno: fri-
 ctioque erit modo mollior, modo durior
 vel mediocris, pro natura corporis & vsu
 quæsito. Posteaquam e lecto surrexerint, φιλόμουσοι,
 vacuatis corporis excremētis, ala-
 crianimo literarum studijs insistent, ad o-
 ctauam aut septimam. Dein si sui iuris erūt,
 exercebūt corpus non lucta, pancratio, aut
 vehementi exercitatione, nimisque robu-
 sta, quod athletis & pancratiastis est pro-
 priū, sed remissa, lenta, leni. Exercitationes
 φιλόμουσων præsertim biliosorum erunt in-
 ambulationes molles in hortis, viridarijs,
 locis amoenis: Pituitosis verò hyeme pila
 palmaria, vel disci iactus, cursus, globus, fol-
 lis conueniunt vsque ad sudorem & lassitu-
 dinem, modo citra defatigationē obeātur.

*Aurora
musis ami-
ca.*

*Frictionis
differentia
& usus.
san.tuer.*

*Alij alijs
citius delaf-
santur stu-
dio.*

*Aestate &
laborib. cō-
quiescendū
est biliosissi-
mis.*

*Neceſſitas
bis in die ſu-
mendum ci-
bū ſuadet.*
*Gula non
ſufficiunt
iētaculum,
prandium,
merenda, cæ-
na, noctur-
na, vitellia-
neq; comeſ-
ſationes.*
*Celſus bis in
die cibū ca-
pere cēſuit.*

Quod ad prandij & cœnæ rationē attinet, pauci sunt hodie, qui cœnēt tantū mobū ſuadet. re priſco. Sunt & pauci, qui prandēt ſolum ex placitis medicorum Arabum. hodiē fēre omnes prandent, & cœnant. quod tamen Plato in dialogo de repub. improbat. Hippocrat. contra in lib. de ratione victus acut. nō damnat. Et ſanè inualuit consuetudo ut cibus quotidie ſumatur, hyeme ſiccior, æſtate humidior, habita ſemper ratione tempeſramēti, cœli, & aëris, conſuetudinifque. Faſinem cibus, ſitim potus expectabit, præfertim cum homo valet. Hyeme pleniore cibo, parciore potu, & paulo meraciori vſtendum: contra æſtate frequentior, humidiorque cibus conuenit, & potus dilutior. diebus aquilonijs plus comedendū, quam australibus.

Autumno singularis ac cauta victus ratio habenda, quod hic inæquali & ſua natura inordinatus, tum propter fructus, quos nouitatis gratia & ſuavitate illeſti plerique eſitamus. ſunt enim noxij non ſolum copia, ſed etiam ſui natura.

*Pomone in
uitanti co-
gimur ali-
quid condo-
mare.*

Cacochyma, lubrica, fructus, & quæ cito corrumpuntur, prima cura literarum ſtudioſo eſſet non tangere, ſecunda, ſumere primis epulis. E fructibus, ceraſa accida

dulcia & dulcacida. Pruna damascena nigra, purpurea, & violacea Iberica dicta Gal. Cypria.mora (etiam si Horat. det postremis epulis) ficus & caricæ, vuæ, initio mensæ indulgentur, præsertim biliosis & calidis naturis, ad molliendam aluum, ad refrigerationem æstus, ad appetentiam excitandam. His fructus & reliqui horarij ferè oēs, sunt fugaces, temporaneiq;: quod horū gratia cito vanescat, ac corrūpatur. Nec credas illis, qui a ficubus, aut alijs horarijs, aquam superbibendā esse suadent. ita enim augeretur corruptela, fieret flatus, colici dolores, & chylus aquosior.

Qui male appetunt, & stomacho sunt fastidiente, condimenta epularum quærāt non a coquo, aut pistore, fartore, salgamaris, falsamētarijs, aut foro cupedinario, sed a motu, inambulatione, exercitatione matutina, & ante cœnā obita, exemplo Alexandri illius magni, qui prandium condiebat profectione matutina, cœnam vero tenuitate prandij. Si appetitus cibique auiditas non reuocetur exercitatione, aut inedia exfuscitanda erit acidis, austēris, falsis, aliquando etiam acrībus, vt bulbis, sinapi, præsertim hyeme, nisi capit is infirmitas impedit.

*Immatura
vel matura
ingenio po-
tius quam
natura vi-
tanda.*

*Condimen-
tum epula-
rum quod
optimum?*

Antiquitas falsamēta nouit, A falsamētis olim Alexandrini, & Athēnienses prandia inchoabant. & hodie ple-

*que nostra facula igno- rante nos e- tiā utimur recreant, vt haleculis, vulgo *haranc*, *sardi-**

js, *qua illis nes & anchois*. Romani suo garo, & oxelæo.

fuerūt igno- ta. Sed horum omnium vsus frequentior vale-

Garum è tudini nocet: dum sanguinem vrit, & bilem scombro o- lim in deli- auget.

cys. Admittuntur etiam primis mensis, asparagi, cappares, oliuē colymbades, crithmō, *cauliculi & turiones plātarum.* cauliculi rusci, bryoniæ, & variarum plantarum, ex oxelæo ad fastidia abigenda. Quin & herbarum acrium, & aculeatarū cymæ, & turiones, ex oleo & aceto ad cibi auiditateim, ad obstruktiones viscerum, sumuntur initio mensæ.

Olera & herbae ex o- leo & aceto sumuntur. Acetaria, vere ineunte, & æstatis feruoribus, gratiā in primis mensis habere videntur: at valetudinarijs & cacostomachis omnino fugienda: cum plerunque calida frigidis, humentia siccis mixta contineant, & sint omnia mali succi. A plerisque tamen hodie lactucæ sessiles & capitatae ex oxelæo, vel oxyfacharo, æstate sumuntur ad cibi appetentiam, ad refrigerium, somnum cōciliandum, veneris incendia sedanda.

Studio si literarū vtātur cibis boni succi, mediæ materiæ, & facilis cōcoctionis, vt sunt

Vitulina primas tenēs inter grandiorum animalium carnes, si solo lacte vitulus nutritatur & diu.

Veruecina. huius gratia, & suauitas etiā vsu continuo non exolescit. miror Galenū, imò Græciam, Italiam huic cibo parū auctoritatis dedisse, cum Gallia suauissimum experiatur.

Hœdina. sapida est, cum herbarum est expers, præsertim si mater lacte abundet. Burdigala vere & æstate: imò toto ferè anno, præter duos menses, hac abundat.

Capi cohortales, paleares, & libero aëre fruentes, magis quam altiles in caueis saginati laudantur. sunt enim optimi succi, & feliciter nutriunt.

Gallinæ, brumalibus diebus ganeæ pro-
ceres edendas iubent. quomodo cito tene-
rificant, vide Horatium.

Pulli Gallinacei elixi, & assi dantur sa-
nis & ægris, infantes bimestres, hodie quo
rundam ingenio etiam hybernis mensibus,
in mensas veniunt.

Perdices anniculæ, giluæ, rubræ, & rusti-
cæ inter primarias escas césentur: sapore, &
succi bonitate, præstant alijs auibus. harum
infantes pulli, & adultiores facti, ditiorum
aut liguritorum sunt epulæ.

*Alimenta
hac idonea
sunt stoma
cho & va-
letudini, vel
tota substâ
tia, vel na-
ture simili-
tudine, vel
temperamē
ti, & qual-
itatum con-
uenientia.*

Columbos medici Arabes in cibis dominant. Galenus vero eos qui in turribus rusticisque columbarijs degunt commendat, præsertim pullos & infantes columborum. Genitores duriores a mensis medici & ganeæ proceres abdicant.

*Torquati
venerem he
betant, mar
tialis.* Palumbium & ramalium generi gloria inter epulas non postrema. nā hyeme inter elegantiores cibos censentur. Apud Aquitanos Vasates mira fertilitas. sunt qui semitostas & adhuc crux perfusas auidè deuorant: at sic concoctu sunt pertinaces, ructusque nidorosas & succum excrementium gignunt.

*Raritas,
præmium &
gloriam eis
adferit in ci
borū censu.* Phasiani, in mēfas Potentum & Magnatum solum veniunt. Medici hos carnis & succi bonitate, & coctionis facilitate æquāt vel etiam anteponūt gallinaceis. sunt enim saporis iucundi & pretiosi, & volunt esse velut regulam Polycleti, in æstimandis alimentis reliquarum auium.

Turtures, nutriebantur apud Romanos in auiarijs: at hodie milio saginamus in caueis. Galeno sunt carne duriori, quam tundorum & merularum: etiā si Martial. apud Romanos turtures pingues in pretio fuisse scribat.

Attagen vel attagena perdice paulo

maior, vulgo *francolim.* eiusdorsum maculis verficoloribus pingitur. huius caro boni succi, & facilis coctu-

Turdis palmam inter aues *Martialis*, & *Horatius* videtur dedisse: etiam si Galenus reclamet, 3. alimentorum. hi apud Aquitanos & in Gallia Narbonensi nomen retinent *tour*. Sequani & Celte Francique hāc auem maluiscum vocant. Aues sunt aduenæ Gallis, vt & grues. Galenus turdos & merulas in symmetria excessuum locat.

Merularum caro affinis & compar turdorum carni, authore Galeno. æstate rufescit ex nigro.

Passeres, per messes & vendemias, pinguescunt, & succo fiunt paulo meliore: in potentiorum mēfas rarō admittuntur. Fœminę tamen maritis in venerem ignauis exhibēt, quod salacitatem, hoc cibo excitare credāt, & Galenus passerculos laudat. s.t.

Sturnus, rustici vendemiarum tempore sturnos venantur & edunt. Gula morosior negligit: etiam si Galenus esum sturnorum extenuatis consulat. fa. t. vulgo *estourneau*.

A lauda, hybernis mensibus in cibo gra-
tissima, assatur & operc' pistorio includitur. Tatina a-
sopī tragæ-
di centenis
auibus stir-
cta.
hæc etiam *Galerita* dicitur. in iure elixa &
cum iure sumpta est colicis summū reme-

dium Gal. in simplicibus, dicitur & cassita,
apud gellum.

Coturnix. Coturnices, & harum pulli
tempore messium suauissimi, & in censu cu-
pediarum habentur Tholosæ & apud Bel-
gas, ganeæque Gallicæ artifices. tamen an-
tiquorum Romanorum cibis damnatae fue-
runt, quod veratro vescerentur, & pingue-
fcerent: quodque conuulsiones vescentib.
adferant, ex Gal. sententia.

Auiculæ, cynobati fructu, ac dumeto-
rum baccis vicitantes (*mories* vocat) Aqui-
tanis, in foro cupedinario, circa finē æstatis
& toto autumno numerosissimæ vendun-
tur, habenturque inter epulas lautiores.

Luscinia, carduellis, acanthis, linaria,
Aves dociles & loquaces. chlorias, vulgo verdier, Trochilus, qui &
regulus, Tarus, raro in mensas Gallicanas
veniunt, sed aluntur ad cantus in auialijs
caueisque.

Psittacus, tempore Plinij Romanis in ci-
Aves perigrine. bo familiaris erat: & suavi sapore esse aiunt,
& hodie medicorum nonnulli psittacos v-
tiliter mandi, contra phthoen scribunt. alio
qui in vsu mensarum, raro spectantur.

Gallinæ indicæ a Lusitanis Hispanisque
inuestæ in nostrum orbem carne sunt fir-
ma & boni succi, sed pertinacis coctionis,

nisi tenerescat. vnde adolescētes suauiores.

LITERARVM studiosi, quiue imbecilio & malo sunt stomacho, aut vitam degunt sedentariam, vitabunt Alimenta literarum studiofis ad uerfa.

Bubulam. nam difficillime conficitur, & atram bilem, crassam sanguinem gignit. unde soboles morborum melancholicorum, etiam si culinæ potentiorum ea falsa vtantur primis epulis, ad vini irritamentum.

Suillam. hæc boni est succi & potentissimè nutrit: sed stomacho debili negotium facevit. relinquenda athletis, & ijs qui actuosam laboribusq; exercitam vitā agunt.

Porcellos lactentes, olim in pretio fuisse Martialis scribit. hodie raro in cœnas potentum veniunt. cutem retorridam porcellorum, liguritores suauiter vorant, gulæ seruientes, magis quam valetudini & rationi. Horum carne biliosi innocentius vti possunt, si valent stomacho. Suillam ex apro. Aprugna venatio. ca put aprugnū in glorria habetur apud nobiles. hac culinæ magnatum carere vix possunt, quæ salubrior est suilla domestica: tamē studiosis non debet esse in usu frequenti. Agninam. quia est humidiori, & pituitosiori natura, & excrementosa. Arietina est foedo odore & sapore viroso. Ouilla est excrementosa, & succo vitioso.

Caprina est improbi succi, & sapore acri,

ingrato. Plutarchus ait capras tentari malo
comitiali, & nusquam carere febre. Hircina
ab omnibus damnatur.

Ceruina prædura & mali succi , etiam si
nobilium mensæ hanc in honore habeant.
caro ceruorum vitiatur libidinis tempore,
fœtetque, vt hircorum. Hinnuli & infantes,
epulæ generosæ sunt potentiorum & no-
bilium.

*Nostra me-
moria, sunt
plures Me-
canatis imi-
tatores ono-
phagi.* Asinina succum gignit vitiosum , atrabi-
liarium. Quare miror Mecœnatem huius
adeo fuisse audum, vt greges asinarum ale-
ret gratia pullorum. quorum carnes putan-
tur suauiores & gratiiores , etiam si mali im-
probique sint alimenti.

*Iudicij &
censura ali-
mentorum
debetur me-
dico, non gu-
la Martia-
tu, aut ligu-
ritorum.
Lepus sic-
ciss. tempe-
ramenti.* Leporina atræ bilis parens & fœcunda. .
Quare damnatur a medicis. Nec credendū
gulæ & palato poëtæ, magis quam Galeno
& rationi. Huius venatio mire placet omni
nobilitati. Pulli bimestres , trimestres & se-
mestres, ganeæ proceribus mirè suaves &
expetiti. Bimi aut ultra vilesunt. Plinius &
Martial.scribunt gratiam & formam corpo-
ri comparari esu leporinæ.

*Germana
similitudo
cunicularū
& leporum.
Galen. raro
huius me-
minit.* Cunicolorum caro, parum abest a lepo-
rina. pulli infantes (lapinos vocant) in con-
uiuijs gratiam habēt. Vetulorum caro præ-
dura. Cuniculi vt perdices referunt vitium

aut gratiam ingeniumque soli & pabuli, vt
genistæ, iuniperi, aut plantæ alterius.

Vulpinam vita ciuilis & nitidior reijcit. *Pulmo vul-*
pinus tabi-
dis datur a
medicis.
succo enim est vittioso, & agresti: foetidum-
que quiddam redolet. Tamen esu vuarum
pinguescentes elixant, mox inassant rura.

Herinacei caro, hodie etiam ganeæ &
culinis nascitur : at si eius vrina in venatu *Plus peri-*
culti timen-
dum quam
voluptatis
sperandū.
caro perfundatur abdicanda. si non macule-
tur in cibo sumpta, vrinæ stillicidium emen-
dat. caro tamē mali est succi. reliquas carnis
herinacei facultates vide apud Gal. xj. sim.

Sciuri capiuntur magis ad delicias, vt o-
lim, quām ad epulas. Nam alimentum præ-
bent siccum & melancholicum agresteq;;

Mures & sorices quidam animi gratia,
vel experiundi causa, vel fame coacti, vt in
obsidione vrbium, aut quia stupido sunt pa-
lato, edunt. at medicina, harum carnes im-
probat. quod ex putredine ferè nascantur,
& sapore sint acri & viroso. Vrinam tamen
non cōtinentibus damus magno successu.

Gires, cognati muribus proinde abdi-
candi a mensis studiosorum : etiam si olim
Romani, ganeæ, ac cupediarum artifices, in-
ter epulas lautiores locarint, & gliraria Var-
ro construxerit.

Mustela sapore & viroso & agresti, in ci- *Iuuant re-*
solutos de-
cotto.

bo sumpta.

Cerebrum felis veneficio infat matur, & anima tabificalia. Felem sunt quidam gulæ ac palati ignavioris, qui felibus, pro cuniculis utuntur: cū experientia ipsa malo esse succo indicet.

Gulae infatnia, Romana, Reginorum. Canes nunc, ut olim, etiam in mensas veniunt, præsertim catuli lactentes. Vnde cynophagi at nec literarum studiosi, nec Galilia canes in epulas admittit.

Lupinā. si pastores vitent in cibis, oues, hædos aliasque pecudes iugulatas a lupis, ob creditum virus maleficum, aut veneficum, non mirum si Lupina in totum abdicitur. Iecur lupinum, hepar hominis vitatum iuuare certò, & recreare Galenus scribit *z. 7.*

Equina in nullo usu mensarum est apud Gallos, nisi forte ob sessos & cogente rabida fame, ut sæpe fit in bello. Audio Turcas etiam sine obsidione ea vti. Vitiosum succum, & atram bilem gignit.

Vrsinā. sunt qui edunt hanc opere pistorio conditam, vel assam more alterius ferinæ vel venationis, præsertim vrsulorum infantium. Tamen hunc cibum insalubrem, agrestem, nec naturæ humanæ consentaneum existimamus sed plane atrabilarium.

INTERANEA, ET VISCE-
ra, extremaque animalium quadrupe-
dum an abdicanda a mēsa studiosorum?

Vitabit literarum studiosus, & qui parū
est firmo stomacho

Extrema animalium grandiorum, vt po-
te neruacea, ligamentosa, & male, aut le-
uiter nutrientia. Rostra, pedes, aures, magis
arrident gulæ, quam profint stomacho &
valetudini. profunt hoc nomine, quod aui-
dè & iucundè sumuntur.

Interanea & viscera, vt iecur quadrupe-
dum. nam crasso est succo, & obstruit, diffi-
cile coquitur. Tamen olim Græcia & Ro-
mani plurimi faciebant suum *συνωτὸν* fica-
tum iecur suillum. Anserinum olim in pre-
tio, nec sine causa. grato enim est sapore &
ganeæ ingenio crescebat. Gallinacea hepa-
ta commendantur plusquam pro merito.
Falsum est iocinora esitata, vescentium io-
cinora iuuare. At verum est hepata vitijs
maculata, aut scirrhosa ab homine non edi
impune. Lien, etsi gustatu suavitatem pala-
to quorundam adferre videatur: tamen ma-
lo est succo: & atrabilario. Vitabit quoque
pulmonem. nā succum pituitosum & mu-
cosum gignit. Cor raro mēsas lautiores su-

*Extrema
& intera-
nea anima-
lium, qua-
drupedum.*

*Hepar oo-
mne est
παρέγ-
χυμα.*

bit. Caro eius fibrofa, dura, coctu difficultis.

Ventriculus & intestina ægrè coquuntur. rusticis & plebi, robustorumque ventriculo relinquuntur.

Renes sunt ingratu odore, & sapore, vrinamque redolenti. proinde succi bonitate destituuntur.

Cerebrum a medicis damnatur ferè omnne. nam succo est crasso pituitoso. ægrè coquitur, stomacho aduersatur. Animalium tamen sicciorum cerebrum a quibusdam expetitur ut gallinaceum, hœdi, leporis. quod & ad tremorem facere putatur. Cuniculi memoriae nocere creditur, sed nulla ratione.

Vitabit etiam literarum studiosus aues grandiores, grauiores, palustres, palmipes, cuiusmodi sunt

Pauones. horum caro dura, & fibrofa atram bilem gignit: tamen infantes & adulti ad mensarum usus præstantiores. Miror gulæ Hortensij & Romanorum, pauonem adeo placuisse: cum eius caro nec colore, nec sapore oculis aut palato arrideat: etiam si gemmantes expandat alas.

*Pliny facul-
lo, gulae in-
fania has
nobilitauit.*

Grues. harum caro excrementosa, concoctione pertinax, fibrofa, dura. hodie apud nobiles hybernas mensas ornant, sed repo-

sitæ, & puluere aromatico aspersæ caryophylis confixæ apponuntur, magis quam calentes. Ciconiæ concoctu difficiles, malique succi & veneni participes, ex sententia quorundam, quod serpentibus vescantur. tempore August. in cibis authoritatem habuerūt. hodie non expetuntur. Cygnus, olor inter epulas lautiores olim censemebatur, præsertim pulli. At corporis moles, & virtus ratio, & loca palustria, indicant habere naturam cognatam ciconiæ & gruis.

Ardea, & ardeola. harum caro exremetofa algæ, limique odorem refert. vnde stomacho fastidia. Et tamèn cupediarum ac ganeæ artifices, in honore ac censu lautiorum ciborum habent ardeolas.

Aues quoque nocturnæ vt bubo, v'lula, noctua, aluco, in mensas v'rbanorum & liberalium hominum pon veniunt.

Aues aduncæ & aquilino rostro, carnivoræ, vt aquilæ, milui, buteo, accipitrum omnia genera non habentur in honore epularum vitio carnis, temperamenti, & succi.

I N A V S P I C A T Æ E T ominosæ vitandæ.

Nam cornices, vt sunt molestæ garrulitate, ita inauspicati alimenti.

Corui, ut hominibus inauspicatissimi, sic
a cibis hominam abdicandi.

Picum olim gula Romana etiam mensis
apposuit: at caro saporis ingratissimi, ut quæ
formicas & culices redoleat.

Graculi & picæ pullos rura mandunt:
quos tamē medicina, & vita nitidior reijcit.

Hirundines, nec harum pullos mensis di-
gnamur. Quibus tamen & harum nidis me-
dici ad faucium morbos vtuntur.

Hactenus alimenta literarum studiosis
salubria, & insalubria prodidiimus, quæ ex
quadrupedium & auium multitudine pe-
tuntur. nunc idem in piscibus faceret libet.

P I S C E S S A L V B R E S.

*Census &
ordo piscinū
salubrium.* Pisces saxatiles, pelagij, littorales probi
sunt succi, & stomacho idonei: non sunt ex-
cremētosi, sunt coctu faciles, nō obstruunt.

Buglossus, lingulaca, solea Plinio & Oui-
dio, & hodie Gall. dicitur *sole*. Carne alba, fir-
ma, sapore grato habetur inter lautissimos
pisces. Est & pseudobuglossus notha solea,
colore & succi bonitate longè inferior.

Lupus λύρας quia vorax & rapax bri-
gne, in maxima mensarū gloria reponitur.

Mullus τείγλη Galeno, mulle: Aristoteles inter saxatiles: at Barbatulum intelli-

git, qui Romæ olim in pretio habebatur, quia sapidissimus:at imberbes mullos & lutarios vt pote fluuiatiles & palustres in cibo damnati. Galenus miratur cur olim gulae Romanorum tantopere arriserit mullus & vnde tantuli piscis insanum pretium. vide Iuuenal. & Ausonium de pretio.

Mugil *μέριλος* Galeno, *μεριπός* Aristot. piscis pelagius. cuius caro multis spinulis non impeditur, gustuque suaui ac iucundo. Hic est diuersus ab eo mugile, qui in fluminibus, stagnis, aut riuulis cloacas urbium expurgantibus educatur. mugilque fluuiatilis, lutarius, lacustris dicitur, vulgo *migeon* nuncutur.

Merula.inter saxatiles Galeno, Tinca est marina a colore auis merulæ, qui communis est aui & pisci. Aristoteles ait mutare colorum pro anni tempore, vere saturato & ferè atro colore, æstate dilutiori. huius coloris etiam D. Ambrosius meminit, in libr. Hexameri. At tinca fluuiatilis & palustris cibus est fæcis populi.

Turdus, scarus, iulides, a Galeno inter saxatiles reponuntur: sed in nostro Aquitano-co oceano, raro educantur: vel in forum pisarium non adferuntur.

Perca marina, inter saxatiles habetur: ra-

rò tamen in nostro oceano gignitur: fluuiatilis verò, a medicina mauritana, & Ausonio in Mosella, commendatur. Carne est alba, & boni succi.

Afellus ὄνος καὶ ὄνιος a colore asini, *Merluz* Gallis dicitur, pelagius est magis, quam saxatilis. nam viuit in alto mari, proximè tamen ad saxatiles accedit substantia & bonitate. Galenus ex iure albo etiam febricitatibus dabat. Sale asseruati ex Anglia ad nos conuehuntur.

Passer, *ψῆτα* græcè, Ausonio platessa, vulgo *plattuse* & *plie* dicitur. passer marinus suauior est, & probioris succi, fluuiatilis verò cœnosus & limosus. In ciborum lautiorum censu non habetur, præsertim fluuiatilis. Ganeones oua carne iucundiora putat, secus medici.

Aurata χρυσφεὶς, orata, *d'orade*. huius Galenus nusquam meminit, quod sciam. in mensis nostris Aquitanis frequēs, habetūrque in pretio. boni enim succi, & carne firma & alba. Celsus auratum pīscem vocat, de quo Martialis

*Non omnis laudē pretiumq; aurata meretur:
Sed cui solus erit concha lucrina cibus.*

Cucus *κόκκινος*, Erythrinus, Rubellio a Plinio, & Gaza, Aquitani(*grondins*) Franci

Rogetz: quanquam Sequati omnes pisces rubros nomine(rogetorum) appellat. sunt tamen qui *grondin* putent esse Lyran Aristot. & græcorum: quia edit grunitum: & Arist. vocalem esse ait. vnde illi nomē lyra.

Acus. *βελόνη* boni succi & firma carne. Plinius aculeatos belonas, & Martialis tenuesacos vocat. ab oceano Aquitanico sæpe afferuntur Burdigalam.

Scombrus & scomber, *σκόμπρος*, Itali lacertum a colore lacertæ, vulgo dicitur *maquereau*, & piscis aprilis: quod eius captura vere fiat. bene alit, & gustui arridet, estque boni succi: sed saporis gratia & honos paucis mensibus durat. hic est ex quo siebat olim illud nobile garum.

Mustellus piscis, *γαλεὸς* & *γαλεώνυμος*, & *ἄγριθιας*, ab aculeata spina *ἀστείας*, quasi stellatus, quod maculas habeat instar stelle lentis magnitudine. Gall. *chien de mer* vocant, & *rousete*. carne est dura & mali succi. Tamen Burdig. est aliis pisciculus dictus *rousete* carne tenerima & boni alimenti.

Rhombus planus est piscis, vt solea & passer, sed maior. duo eius genera, alterum scabrum & aculeatum, alterum lene. vulgo, Aquitanis dicitur *turbot*. habetur hodie inter epulas lautiores: sed non tanto pretio

ut olim Romæ. vide Horatium & Martialem.

Vmbra οὐνίς. καὶ οὐνάια, carne est alba, firma, sapida: dura tamen & coctu difficulti. Paulus Iouius Romæ in delicijs esse scripsit, & mensas subire magnatum. Burdigalenses plebi relinquunt. *mâigre* vulgus appellat.

Pastinaca, τεγχων græcis, & Ausonio dicitur, Franc. & Aquit. *taronde* & *raie* vulgo dicitur a similitudine veræ raiæ. Plin. nihil in mari venenatus radio pastinacæ scripsit, abscissa igitur cauda venditur. Gal. in lib. de alimentis eius carnem friabilem, teneram & suauem asserit, estque preferenda ei, quæ propriè Raïa dicitur. mirantur multi tanto-pere a Galeno commendari: cum Plinius tradat debere extrahi è dorso, quicquid est simile croco, caputque totum, & caudam. Sed experientia quotidiana indicat caput non esse venenatum, sic venenum in solo radio.

Torpedo, νάρη, Gallis *torpille* & *dorminata: mor tua optimi louse.* Galenus cibi gratia eximiè commen-succi, Gal. dat, & posse substitui saxatilibus asserit. Par-uæ meliores censentur. Plinius & Rondele-tus damnant torpedinem in cibo. Gal. mire laudat lib. aliment. & 8. meth. & alibi sæpe.

Alia, sola Raïa, βάτος, & βάνη, a rubi similitudine.

Raïæ enim omnes aculeis asperæ, aliæ toto corpore, aliæ sola cauda. quæ *àsteeias* & stellaris est, totoque corpore aspera in hoc genere primam gratiam tenet, succo & carne probiori: *bouclée vulgo* dicitur. iecur gusu est suauissimo.

Squatina, *pīvn.* Galenus multum alere tradit, sed tamen duriori carne & coctu pertinaciori, pastinaca, & torpedine. Aquitani *creac de busch* vocant, & plebeis, ac vitæ solidæ hominibus relinquunt.

SEQVNTVR PISCES

literarum studiosis insalubres ac parum idonei, vel tota substātia, & naturæ contrarietate, vel qualitatum repugnantia, vel cæca antipathia.

LAMPETRA cibus durus, glutinosus, mali succi, naturæque humanæ parum consentaneus primo vere in mensas venit cum authoritate: & multo pluris quam pro merito æstimatur, & condimenti lenocinio, cogitur gulæ placere. gratia eius cito perit, quia cartilaginea spina indurescēte vilescit. Sunt qui putant maioribus non fuisse in numero ciborum saltem lautiorum, alioqui de ea non tacuissent, propter miram eius capitatis conformatiōnem. plerique mustellam

*Questio ob
scura de lá-
petra.* marinam putant. Quidam lumbricum ma-
rinum. Qui murenam credunt falluntur:
quia hæc branchijs & pinnis caret, lampe-
tra habet. Non desunt qui hirudinē vocent
marinam, alij galeorum generi ascribunt.
Ausonius videtur intelligere lampetram.
cum Mustellā marinam carmine depingit.

*An Roma-
nis culinis
sognata?* Lampetrociolæ, pisciculi forma & figu-
ra lampetræ, sed semper exigui: quibus gra-
tiam in lautioribus epulis gulæ insania de-
dit, a quorum esu videmus stomachi con-
flictationes & negotia, cruditates, ructus
molestos, cephalalgias.

*Quo nomi-
ne censem-
tur apud
Romanos?* Sturio in maximo mensarum honore
habetur. carne & pulpa alba quidem sed du-
rissima, succo crasso & glutinoso. Qui re-
centem ederit, non edet impunè. nam co-
quitur, & cōficitur tardissimè, vt bubula, aut
porcina: vnde stomacho imbecilli aduer-
sissima. Quæstio ambigua nominis eius fa-
cit, vt credam nō fuisse olim in censu & ho-
nore lautiorum piscium. Paulus Iouius silu-
rum Ausonij existimat: Longolius in Pli-
nium, turionem Plinij: Rondeletus acipen-
serem Romanorum, vel Galeni galaxium,
Francis vulgo, *estourgeon*, Aquitanis, *creac.*

*omnia
auto-* Ostracoderma, pisces silicea, & testacea
cute tecti. omne hoc genus crasso alimento,

coctu rebelli & pertinaci. è limo nascitur, *μάτως*
 & materia putrescente. succum crudum,
 aut pituitosum gignit in stomacho. huius
 classis sunt, murices, purpuræ, buccinæ,
gignuntur,
sine coitu, si-
ne sexu.
Non mutat-
locū, sic ex-
cremetosa.
Safso succo
deposito al-
uum fistūt.
 hiatuli, cochleæ, conchæ, chamiæ, vertibula,
 pectines, mytuli, vngues. Inter hæc, o-
 strea cruda sola dantur primis epulis ad sol-
 uendam aluum, suo falso succo.

Crustata tenui testa operta, *μαλακόσπα- μαλα-*
ρα. Omnia dura carne, & ægre cōficiuntur. *κοσερ-*

Locusta magnatum mensis apponitur *κων*
 solida & integra, vulgo *langouste.* plura eius
 genera apud Aristot.

Astaci, gammari Gazæ, & Martiali dicū-
 tur, locustis forma similes. astaci fluuiatiles
quatuor ge-
nera.
Sunt carne
tenella &
dulci. dātur
hecticis ho-
die, & tabi-
dis, & atro-
phia labo-
ra ntibus.
quomodo er-
go dura car-
ne & coctu-
pertinaci di-
cuntur Ga-
leno?

Squillæ Ciceronis & Plinij, Græcorum
 sunt *κρείδες.* cancris duriorem habent car-
 nem. Aquitanis *squilles* dicuntur. dantur
 extenuatis & hecticis. Santones vocant *de*
la sante. Cancri, horum plura genera. lunæ
 vim sentiunt, vt ostracoderma.

Cetacei pisces, belluæ marinæ, quæ ani-
 mal foras edunt, lac & mammae habent.
 Omnes sunt duræ substantiæ, praui succi,
 excrementosi, & contumaces coctu. quare
 abdicādi a literarum studiosis. Ad cetaceū
 pecus referuntur phocæ, phocænæ, physe-

ter, orca, prister.

*Lingua sa-
lita editur
suauiter.* Balena crudum succum, aut pituitosum
gignit, insaluberrima literarum studiosis &
vitam sedentariam agentibus.

*Delphini
caro similius
fuisse, aut
tubula in
veru torre-
tur.* Delphinus, *marsoin*, maris sus dura car-
ne, coctu difficillima succo prauo: tamen
est in pretio mediterraneis, post longam
vecturam, quam facilè patitur longiorem,
ob carnis firmitatem.

Thynnus, eius salsa caro, olim mclandrya
thunnine dicitur. vilem cibum fuisse testa-
tur Martial. scribēs in beticum. Salsamenta
rij gerunt venalem, per vicos vrbis, ieunijs
quadragenarijs.

Mollua non fuit in censu ac numero ci-
borum lautiorum apud maiores. Imò pror-
sus incognita, donec a paucis annis nauig-
atione ad insulas occidentales cœpit inno-
tescere. Hic piscis crassi succi est & glutino-
si, proinde mensas nitidiores non subit, nisi
recens, & nouitatis gratia,

Vrtica siue *ζωῶν* sit, siue *ζωόφυτον* tacta
manu vredinem adfert: & in cibo sumpta
venerem excitat sua acrimonia. Burde galæ
habetur in delitijs, vulgo dicitur *cunasseau*.

Molles pisces, qui *μοιλαρόδερμα* dicun-
tur, sunt abdicandi a studiosis, vt *Lolligo*
casseron vulgo, *Sæpia*, *polyporum* genera.

uam succum gignunt crassum, lendum, glutinosum.

Vitandi etiam sunt, qui gignuntur vele-
ducantur in lacubus, paludibus, stagnantib.
cænōsis, lutōsis, sordidis aquis, imò in flumi-
nibus magnas & populosas vrbes præter-
fluentibus, & qui spinis multis scatent, præ-
ter halecem & percām.

Anguillæ succum gignunt pituitosum,
lendum, glutinosum. vnde calculi & poda-
gra, sic dānatæ. Sunt pisces ἀνόφυτοι, sic fal-
sum eas coire cum serpentibus, paruæ mo-
dice falsæ arrident palato.

Lucius, vel lutius a luto in quo educa-
tur, olim in honore mensarum nullo fuit, *ζερχω*
si Ausonio credas : & hodie parui æstima-
tur, præsertim si limosum virus & cœnum
gustatu referat. commendatur tamen pro-
cerior, & qui in fluuijs rapidis aut stagno
arenoso, vt Mamisano alitur, carnefirmissi-
ma, & sapore non ingrato.

Tinca, in lautis mensis nullum locum ob- *τέγασ*
tinet, quia in cœnōsis & limosis nascitur. & *τέγ-*

Cyprinus pisces lutarius & cœnosus, car- *γος*,
ne flaccida & molliori, & spinis referta. Me-
dici damnant, quod stercoribus, & sordibus *locus limo-*
vrbis vescatur. vnde illi forte nomen prq *sus, unde*
fluuiorum, & viuariorum natura, variant: & *forte ten-*
Lingua &
caput pla-
cent ganeæ.

studioſis. ſunt cyprinorum differentiæ vulgo *carpe*.

Vide Au-ſoniuſ. Trotta, falar velselar eſt Ausonij. pifcis hic educatur in riuis, riuulis, torrentibus locorum mediterraneorum: maculis modo nigris, modo rubentibus, carne dura & firma, ſapore grato. Lemouices & Petragorei hanc in magna authoritate habent, ac faxatilibus pelagijsque præferunt: quod placent ſuo ſapore, etiam ſine condimentilenocinio: medicina tamen tarde coqui in ventriculo, & flatu gignere, experimentis didicit. eſt & trotta falmonea media inter falarem & falmonem.

Gracis, & antiquis Ro- manis, inco- gnitus, vel alio nomine ceſebatur. Salmo. ſunt qui hunc pifcem marinis & fluuiatilibus anteponunt. Sed toto cœlo aberrant: ſi rationi & medicis credas, non gaudiæ. Nā eius caro ægerrime coquitur in ventriculo, crassi eſt ſucci, & flatuofluctu mo leſtos, ac colicos dolores cruditatesque facit. venter ob pinguedinem, & caput, a popinæ magistris expetuntur. Neſmo antiquorum præter Plinium, & Ausonium meminit falmonis. vnde colligere licet pluris æſti mari, quam pro merito.

Barbus aut barbeo non venit in mensas lautiores. displicet ouorum malicia, quæ alii intolerabiles cruciatus cident, & spinarū frequentia, carnisque mollicie nimia & ma-

lo succo.

Alosa vere ineunte habetur in honore, sed gratia eius fugax, & cito vanescit, degeneratque in obsonia plebis. Alosa spinis scatet, quib, infestissima est gulæ & faucibus. Ausonius primus alosam vocavit. sunt qui clupeam Plinij, & Græcorum θεάσαν, quod dorso sit θαλασίω ceruleo ac mari- no, ceteroque corpore argenteo.

Abramis in mediterraneis locis. sunt vi- uaria abramidum, sed hic piscis non est lo- candus in censu lautiorum. Nam spinis mo lestus est, carne molliori, ut est palustrium, & damnandus hoc nomine, quod amet a- quas restagnantes, nō rapidas. Lemouices & Petragorei *brames* vocant.

Testudo. de eius alimento nihil scriptū reliquit Galenus: at medicina posterior, ac ganearum artifices testudinum carnes cō- mendant saporis gratia & suauitate. Terre- stres & nemorales præferuntur aquatili- bus, & in delicias mensarum veniunt sanis & tabidis. & sane experimentis compertū est, iuuare phthoe, & hectica laborantes. elixantur accuratè, dein friguntur, vel in pa- tinis iurulentæ coquuntur.

Ranę lacustres & palustres. Nec memini legere apud Galenum, ranas venire in pati-

*Lemouices,
gloriantur
viuarijs a-
bramidum
inopia me-
liorum.*

*Marinariū,
multæ sunt
differentie,
in testa &
magnitudi-
ne, Pli.li.9.
Olim magis
ad usus me-
dicos, quam
ad culinas,
quereban-
tur.*

*De ranis
marini, vi-
de Rondele
tum.*

nas & cibos hominum. vulgus rusticum
has abominatur quod credat cū rubeta aut
buffone coire. posteriora, & coxæ placent
palatis eruditioribus, quib. elixatis & frixis,
piperis momentum inspergitur. medicina
mauritana tabescentibus præscribit. aiunt
enim reddere corpus succulentum & nitidum.
Gula illa monstrosa Romanorum, etiam si quosdā cibos ranis deteriores in de-
litias verterit: tamen harum usum in cibo
vel non nouit, vel auersata est. alioqui rana-
rum viuaria instituisset.

Porrò alimenta quæ petuntur ex dictis
animalibus aquaticis & terrestribus, elixan-
tur, assantur, cōdiuntur, apparanturque va-
riè, pro vario temperamento hominis, aeris-
que, & cœli statu, & cōsuetudine. Nam bi-
liosi, picrocholi, macilenti, atrabilarij, præ-
fertim æstate elixis aut in patinis cum liquo
re iurulento coctis uti debent: & si assis uti
Affa quo-
modo firmè
da, a bilio-
ffs.
velint, intinctu aliquo grato acido, ut mali
citrei, arantij, vuæ acerb. mali granati, aut si-
mili, affa condire debent, metu ignei calo-
ris & siccitatis. quin & partes semitostas,
lardumque vſtulatum vitare debent.

Pythagore
præcepto hic
obtemperant
dum. Vocabunt literarum studiosi, quique vitâ
sedentariam, ac sellulariam degunt, fabas,
pisas, lentes, cicera, cicerculas, phaseolos, vi-

tiam, & similia legumina. Nā quouis modo parata sunt flatuosa. Quin etsi horū singula suum habent vitium: tamen hoc habent cōmune, quod ventrem distendunt, contumacia coctu, caput implent crassis & nebulosis exhalationibus, & somnos insomnijs turbulētos faciunt. Quare aduersa φιλομέσσαις, quibus opus est animi tranquillitate, spiritu animali sincero, puro, limpido. Recentia, aut malē cocta plus flatuum, & humidorū excrementorum gignunt.

Abstinebit etiam ab omni genere radicum. nam difficulter coquuntur, sunt mali succi, & venerem cident, flatusque gignunt & inflationes, suntque excrementosæ, nisi gula morosior raphanum ante alios cibos gustare velit, cæpaque ad condimenta vti. At tubera fatua & insipida, aut fungos, boletosque vitæ pestes, terræ arborumque via, gulæ monstrosæ relinquenda censeo.

Pane vtetur, non sordido, aut furfuraceo minimum scilicet nutriente. Nec filignite filigineóve illo purissimo ex polline & flore farinæ, quē Satyricus niueum vocat, regumq; & antistitum delicias. Vescetur potius semidalite & similaceo, aut ἀωτρόπῳ, a quo nihil est detractum. Panis adhuc calēs siticulosus, recentior flatuosus, vetustior æ-

*Radices.**Tubera, & fungi.**Quo pane
vtendum li-
terarū stu-
diosis.*

grè coquitur. probātur moderatè recētes, & hesterni. Qui biduo aut triduo induruerunt ægerrime coquuntur, aluum fistunt & malè distribuūtur. Auersabitur etiam itriorum, rhyematum & placentarum omne gnus. Panificiaque illa ayzma a pistore dulciario eleganter magis, quam salubri artificio confecta.

*Alimento-
rum varie-
tas qua vi-
tanda?*

Vitanda erit nimia alimentorum varietas & condimentorum lenocinia, præser-tim vbi contrariæ sunt facultatis. hinc enim cruditas, ructus inæqualis, & turbata coctio, flatus. Tamen, si homo sit senior & appetitiæ languentis, medicina indulget non-nihil stomacho fastidienti.

*ἀστονία
& ingurgi-
tatio.*

Porrò ingluuiies, crapula, nausea, procul abesse debent a literarū cupidis. Sunt enim hostes ingenij, intellectus, ob sympathiam cerebri cum stomacho. hinc cruditas, cephalalgia, stupor sensuum, & ingenij, memoriæ labes, cita senectus.

*Cyathis ma-
iores potus
modum me-
tiebantur:
nos calycib.
& poculis
vitreis &
crystallinis.
Primus cra-
ter sibi da-
batur. 2. vo-
luptati, 3.*

Potus sit vinum giluum, heliolum, pallidulum, rubellum, album quoque (etiam si Ficinus improbet) Diluetur autē pro ratione temperamenti, stomachi firmitate, capitis robore & vini natura & consuetudine. At de potionis modo ac mensura, bibendi legibus, & diluendi ratione, quotque cya-

this, poculifue, homini philosopho in pastu
 sit bibendum, fortè alias fusius. Vitanda e-
 runt vina vaporosa, crassa, rubra, nigra, dul-
 cia, mustea, turbida. Potio æstate, nec niue,
 nec glacie, aut salepetræ, nec alio ingenio
 refrigerabitur. Hinc enim febres, & noxa
 stomachi. auersarique oportet morem illū
 inuitandi conuiuas ad potus capaciores, &
 liberaliores sæpe exhauriendos.

In hydropotis dubitari potest an aqua
 nutriat, cum aquæ potores diutissimè viuāt
 testimonio eorum, qui ante diluum sine
 vsu vini maxime longæui fuisse legūtur. Et
 hodie Armoricæ gētes, Belgæ, Germani, &
 plerique alij degant sine vino. & an aqua so-
 la cum cibo sumpta iuuet ad nutritionem,
 vel ad ciborum miscellam, dilutionem &
 distributionem. Cōsulo tamen ut nec aqua
 sola nec vinum merū bibatur. ad fœlicem
 enim nutritionem, Bacchus nymphis con-
 iungendus, cuius fuere nutrices.

Bellarria erunt non illa sachari lenocinio
 a pistore dulciario curiosè apparata, quæ ad
 prodigi luxus ostentationem potius, quam
 ad valetudinē gula monstrofa excogitauit:
 Sed pyrum aliquod in sua arbore matura-
 tum, sapore non aquoso, fatuo, insipido: sed
 vinoso, grato, subadstringente, pulpa & cal-

lo firmo, crudum quidem biliosis, & si stomachus calidior & æstuans: vt pyra bergamotia, finora, rataria cocta, boncrestiana.

Mensas etiam cōmodē finiunt mala, vulgo *poma*, callo firmo, carne dēsa, sapore grato, adstringente: vt curtipendula, & poma-pyra, cruda quidem stomacho æstuant, cocta valetudinarijs & frigidioribus.

Cotonea cocta, sub prunis, dein sacharo insperso, aut alio ingenio condita, in postremis epulis, primam habent authoritatem.

Mespila bellariorum gratiam supplent sapore grato, mollicie, & adstrictione.

Sunt qui bellariorum vice, in clausula mensæ exhibēt auellanas, strobilos nucleosque pineos, amygdalas sacharo aspersas, vel sacharo incrustatas, pistacia, nuces recentes, vel assiccatas: nitunturque mauritanæ posteriorisque medicinæ præsertim mótagnanæ, ac Manardi testimonio. At cū

*Mellitissima que mi-
nime melli-
ta.* hæc tragemata, fructusque sacharati, nihil habeant adstrictionis, qua possint claudere ac roborare os ventriculi, imò sint oleagi-

*Galenus in
libro de ali-
mentis.* neæ naturæ, bilemque in quorumdam stomacho moueāt, cieantque cephalalgias, in censu salubrium bellariorum non habenda censeo: quemadmodum nec aphrogalam cum fragis, nec cinaram cū butyro, aut piir-

gui iusculo. A castaneis etiam censeo abstinentum literarum studio. quod totum hoc glandis genus operosum sit & graue stomacho, etiam si sit valentissimæ materiæ. Sunt qui sub finem mensæ claudunt stomachum caseo Britannico, vel Placentino, aut hippace putri, ut Lemo, & viroso vermiculanteque. At hi nihil aliud venantur, quam gulæ irritamenta, quibus vina valetudinemque perdant.

Super epulas parcè loquendum, præser-
tim cum animi contentione. Quæstiones
enim perplexæ, & concertationes amaru-
lentæ, & conuiuis molestæ, quæque nihil ad
Bacchum, sunt fugiendæ. Sermones igitur
conuiuales & symposiaci, erunt colloquia
Musis amœnioribus digna, ex historia, aut
philosophia petita.

A cibis statim declinanda sunt literarum seueriorum studia, quæ acriorem animi cōtentioñē postulant. Iedunt enim & implant cerebrum crudis vaporibus. Igitur ab epulis, animo placido sedendum, aut molliter inambulandum, sermonibusque iucundis fallendum tempus: donec cibus in fundum ventriculi descenderit, ac vapores deferuerint.

Neque a prandio dormiēdum interdiu,

*Somnus me
ridianus.*

nisi longa consuetudo in senecte, aut necessitas, per vigiliū nocturnū, antelucana euigilatio modicē dormire, ac meridiāri sua deant. somnusque is esto breuis, & longē a prandio.

Studia pomeridiana. Circa secundam aut tertiam pomeridianam redeundum ad studia literarum. Nam et si mane Minerua ac Musæ φιλομάθοις, sint magis benevolæ, tamen cum non ἀσωτικοὶ, nec gothicè, sed sobriè prandeant, aliquot horis, gratijs ac Musis hilarioribus minusque seueris, sacra facere licebit.

Aliquanto post exercebunt corpus in ambulationibus, modo citis, modo mollioribus, disputatione, cursu, folle, globo, pila palmaria, iustificatione hortorum, portus & rerum iucundarum, ad animi & corporis vegetationem & valetudinem.

Cœna liberalior, quib. connuenit. Cœnabūt liberalius biliosi, squalidi, sicci, raro textu, & æstuāte stomacho. A tenuiore enim victu, depereunt illis spiritus, humidum naturale absumitur, calor ignescit, & inedia sensim marcescit. Pituitosis & humidiорibus, cœna erit parcior & siccior, metu destillationum, & ne caput excremētis implatur. Ratio & ordo ciborū, potionū, belliorū eadem erit in cœna, quæ in prādio.

Galenus consulit ut in homine sano, ali-

mēta, quæ in cœna sumuntur, sint valentioris materiæ quam in prandio, cœnaque sit liberalior. Arabū schola contrarium asserit. vtrique suis nituntur rationibus, quas facile est inter se conciliare. Inter omnes tamen cōuenit, vt liquida, mollia, lubrica, fugacia, falsa, oleosa, ὁξύπορα præeant alijs, & viam faciant duris, crassis, tarde meantibus, cōctu pertinacibus, adstringentibus, βεγδυώσῃς.

Cauendum ne statim a cœna somnus occupet. salubrius erit cū amicis, aut Musis molliter deambulare locis amœnis. Si cœlum pluuium, rigens aut sœuum, fallendum tempus colloquijs festiuis, lepidis, argutis, & philosophicis, interdū etiam chartis luso rijs: vitanda tamen alea illa damnsa præsertim cum iracundis, callidis, aut ὁξυθύμοις. interim cogitationes & Musæ seueriores & arduæ apud musæum deponantur in auroram vsque. Sunt tamen plerique literarum helluones, qui a cœna lucubrant ad x. xij. imò nonnumquam tam obstinate ingenio imperant, vt totas noctes libris immorentur, ac penè immoriantur. hinc pallor, macies, θυσπεψία & cruditas, rheumatismus, cita canicies, præpropera senectus, ingenij & intellectus hebetudo, me-

*Alea per
nox, & dam
noſa.*

*Celsi confi-
lium.*

*Perugilia
nocturna
hecates vi-
tanda.*

moriæ noxa. Quare qui placidè & suauiter noctu dormire volet, lucubrationes illas in altam noctem productas vitabit. A cœna nihil omnino bibendum ex medicorū platis, ne coctio turbetur, & defluxio excitetur. Celsus ad coctionem iuuandam & ad somnum placidiorem, cœnam potionē frigidæ aquæ includit. Sunt qui non dormiant, nisi antequam se lecto committant, vi-
*An bibere
liceat eunti
bus cubiti.*
*Confuetudi
ni inueterata
te seruien-
dum.* num bibant, vel ad sitim tollendam, vel flatus inclusos ructu pellendos: aut ut vapores suaves placidæ & altæ quietis auctores, ad cerebrum mittantur: vel omnino ob consuetudinem bibunt. Cui aliquid condonandum, præsertim inueteratæ. est enim sœua consuetudinis tyrannis.

Decubitus supinus diu continuatus gignit calculum, estque Veneris ac gonorrhœæ causa.

Dormire in ventrem, calorem natuum auget, & coctionem iuuat.

Qui hepate est calidiori, dormiet in latus sinistrum.

Culcitra æstate sit tomento laneo vel xylino facta, hyeme plumeo. idem de cervicali dicendum, quod eminens & elatum esse debet. hac enim ratione dormiendo caput minus replebitur. unde subit mirari

quosdam aulicæ & nitidioris vitæ sectatores, qui malunt dormire capite declivi, & pedibus elatis.

A lecto & cubili, in modo & cubiculo eorum, qui musis sacra faciunt, procul absint & exulent, pulices, cimices, pediculi, culices, papillones, araneæ, & id genus animalcula è putredine orta, somni & placide quietis hostes infestissimi. Et sunt studiosorum non nulli, in quibus somnus semel abruptus vel interruptus ægrè postea obrepit. hinc illis mentis & intellectus hebetudo, sensuum & capitum grauitas.

Tempus iustum & longitudo somni nocturni, non omnibus eadem: sed definienda ciborum concoctione, & consuetudine. Alij enim alijs prolixiore gaudet, & egent somno, ad ciborum & humorum elaborationem. hic diligenter spectanda est consuetudo, & temperamentum, coenæque praecedentis modus.

Quod ad venerea attinet, et si male conuenit Musis castis & venerandis, cum cupidine illo petulante, lasciuo, instabili: fit tamen ut literarum studiosi, & qui perpetuo liberalibus disciplinis insudant, plerumque euadant melancholici: siue melancholia, ut Aristoteli placet, ingenij sit causa: siue po-

tius ingenium, vt quorundam est opinio,
est parens melancholiæ. At melancholicos
omnes præsertim ingeniosos, esse φιλογύ-
νεις, libidinososque testis est Aristoteles lib.

*Hora vene-
ris exereen-
da.*

problematum: & Galenus in arte medica,
ait callidos sicos habere semen acre &
mordax, proinde salaces, in quibus si semen
diutius retineatur, augetur melancholia,
mœror, μυστικόπωπτία: ingenij intellectusq;
acies hebetatur. Quare ad animi ægritudi-
nes leuandas, concubitus præsentaneum
est remedium. Modo venus sit moderata,
tempestiuia, & eatenus exerceatur, vt ho-
minem non lædat. Immoderata enim cor-
pus eneruat, siccatur, refrigeratur, exoluit, men-
temque & ingenium hebetat, infirmat. Hic
non possum satis mirari Galenum, qui ho-
ram exercendæ veneris, statuat esse, post
cœnam, antequam sopor obrepatur, & Pau-
lum Æginetā Galeni simiam, qui tempus
concubandi opportunum esse scribat se-
cundum cibum, antequam somnus iuuat.
At illi fatebuntur, puto, eos qui concu-
bunt a cœna, & pleno stomacho, valde pe-
riclitari, ne cruditas, alimentaque incocta
in corporis habitum rapiantur, meatusque
viscerū obstruant, vt fit in vehementi exer-
citatione mox ab epulis. exerceri autem si-

*Hec licent
in matri-
monio.*

ne motu & agitatione corporis, imò s̄æpe nec sine magno conatu venus non potest. At motus omnis, a cibo, ex sententia ipsius Galeni in lib. de *ωχυίᾳ* est periculosus, & præsertim validior, qualis in venere. Tuttissima igitur venus esto excitatis a somno: vitanda est tamen illa post longas inedias, vehementes exercitationes, & immodos labores, omnesque causas insalubres, quæ vires deiiciunt. Porro quibus temporum interuallis venere sit vtendum & an vſu eius, ad senium vſque homo sufficere possit: & quomodo succurrendum noxis, quæ venarem sequuntur, inuenies in medicorum *ὑγειῶν* commentarijs, præsertim in lib. Gal. de sanit. tuenda.

Haec tenus, lector studiose ac candide, a-
cōmentarij
totius epilo
gus.
 nimi vitia & morbos, horumque differen-
 tias generatim prodidimus, deinde animæ
 concupiscibilis, & animosæ ægritudines,
 particulatim & ordine recensuimus: & a-
 quibus locis harum remedia haurire facile
 queas: nempe vel a triplicis philosophiæ
 fontibus, vel Euangelij oraculis, vel medi-
 cinæ placitis salubribus, idque ratione me-
 thodica. Tertio loco animæ rationalis ac
 principis morbos ac vitia, functionumque
 noxas, quas sanè nemo prudens ponit, aut

fumit pro arbitrio, ut superioris animæ morbos, strictim quidem, sed intelligenter & methodo, ob oculos repræsentauimus. Atque hæc omnia a nobis traduntur more ac stylo magis medico, quā philosophico. Nā philosophia illa ethnica & gentilis: quam Cicero vitæ ducem, vitiorum expultricem & magistram morum vocat, solius animæ concupisibilis & animosæ ægritudines vt-cunque leuat. Theologia etiam eiusdem animæ perturbationes, nec eas omnes, sed eas tantum, quas peccata vocat, persequitur. Medicus vero triplicis animæ morbōs, vitia, & noxas (nisi malum desperatum) solus aggreditur, ac debellat, causis nimirum ac malorum radice prorsus sublatis.

Denique cum videre in rectam viuendi rationem plurimum facere ad morum probitatem, ad ingenij aciem, intellectusque ac mentis præstantiam, ac sanitatem, animique morbos profligandos, attexui formulam quandam vietus. Cuius ductu ac filo velut manu Mercuriali literarum studiosi, per causarum salubrium classes, a matutina surrectione usque ad diei sequentis ex-perfectionem tutò & salubriter vitam degere possint.

F I N I S.

Mar. Monerij.

*Corporis in morbis sat erat viciſſe Galenum:
Hui ! rursus querendo animo infuscasse Plato-
nem ?*

*Quamuis iſte Iouis genus eſſet, Apollinis ille?
At quia plus pollet virtus collecta, Pichote,
Singula tu ſuperas, qui fers ſimul omnia tecum.*

Ad P.Pichotū Medicinæ doctorem,
Io. Guijonij carmen.


COMMENDARE suis aliqua se ciuibus arte,
Inq; vicem charum ciuibus esse suis,
Hoc ut præclarum, sic cui contingit utrumq;
Fælicem meritò dixeris atq; probum.
Ergo, Machaoniae qui magnos artis honores
Percipis, hoc dupli nominе plaudere tibi.
Nā tua Burdigalæ iampridē industria prodest:
Officij gratas reddit & illa vices.
Quot mare turbatis attollit fluctibus iras,
Quot folia Autumni sidere lapsa cadunt:
Tot tua vexatos sœuis languoribus ægros
Ars de Tanarijs faucibus eripuit.
Et (quanquam imprimis) tamen hoc non sola
probabunt
Flexa recurvatae littora Burdigalæ:
Sed qua Vasconidas rapid⁹ sibi vēdicat vndas
Gentis Aquitanæ culta Garumna secans,
Non artis monumenta tuæ, docti⁹ laboris,
Non animi desunt pignora clara tui.
Qui nunc de cunctis cupiēs bene posse mereri,
Hæc spargis docta scripta notata manu.
Multipliciq; velut contexens flore coronam,
Ex vario pulchrum dogmate condis opus.
Perge, nec humana tantum de gente laborum
Præmia, de superis, scd meruisse puta.

F I N I S.


*Quæ omissa erant in archetypo & exemplari, aut
casu male scripta, sic reponito.*

Pag. 29, post interrogationem. Mala animi quæ sunt legē, vt sanitas, tolle dictionem (quæ. Pag. 24, in aduersarijs margineis. post semen copios. leg. vel, loco &. Pag. 37, lin. 2, post dictionem degitur. leg. Sed vt. Pag. 30, post phil. *αναιρεσίη* Pag. 40, li. 1, leg. animosa. & pag. 55, in aduers. marg. post dictionem animosæ. leg. quomodo. Pag. 61, li. 1, & ferri, le. at. Pag. 67, li. 3, lege videatur. Pag. 68, li. 7, ad se tanquam, leg. fibi. Pag. 85, in aduersarijs, linea postrema, leg. dementia. Pag. 85, li. 9, lege cibum toll. Pag. 95, li. 4, leg. agarico.

Post pag. 103, li. 24, perdix rustica, eruditioribus est gilua seu grisea perdix, alijs vero est rostrula, quæ Aristot. *ἀσπολώ* quod vernibus nutriatur. Gallinago gazæ, vulgo *aniceca*, & *beccasse*, dicitur. Mirum est huius excrements & intestina, a palato scito, & Liguritore verti in delicias & cōdimenta, cum rostrulæ caro nigra sit & dura, saporéque gulæ magis arrideat quam stomacho profit. Pag. 104, lin. 13, leg. nidorosos. Pag. 105, In aduersarijs margineis, tolle patinam Aesopi, & transfer in paginam sequentem è regione, Lusciniæ. Porrò patina illa prodigi & monstrosi luxus Aesopi tragicī histrionis, continebat centum auiculas cantu amœno vel sermone Latino, vel Græco dociles & vocales. Pag. 114, l. vlt. post saxatiles, le. sed loco at. Pag. 118, l. 9, le. *τρύγων*. Pag. 117, li. 5, lyra dicitur potius ab aculeis magnis duris in dorso, quibus lyræ antiquæ formam refert, quam a sono & grunitu. Pag. 119, in aduersarijs, li. 1, leg. cauda.









M71


c
C 13

7 /









THE HISTORY OF
THE AMERICAN REVOLUTION

BY

JAMES

DEAN

1837